



**Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein**

**Bolte, Johannes**


**Leipzig, 1933**

Nicolaus Vernulaeus, Fritlandus, tragoedia (1637)

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69844](#)





V.A.D.Q. Petrus Roose, Catholicae Maiestati in Hispania et Belgio  
a consiliis status, sanctioris consilii praesidi.

Ecce Fritlandus, vir amplissime, e theatro ad te iam venit. In illo nuper fortunae suae scenam aperuit et eandem cum vita clausit. Miser sane princeps, Fortunae primo filius, postea ludibrium. Felix, si esse voluisse, quod erat; postquam esse voluit, quod non debebat, infelix. Nec alius esse poterat, qui ambitio- [\* 3 b] ni animum tradiderat. Excaecat illa primum, deinde enecat. Redivivum in illo Seianum nostra aetas vidit et sane horruit, sed par exitus horrorem non sine horrore tamen absolvit. Dum affectavit imprudenti temeritate domini sui regnum et fortassis imperium, utrumque sua morte confirmavit. Perduellum fato stabiliuntur imperia. Nec alias divina Providentia manifestior. Quem diem diademati sumendo destinarat, sua morte funestavit. Una manus et peregrina victimam paene coronatam mactavit. Ita caelesti ultiōi nunquam deest minister, etiam qui non timetur. Dedit Hibernia, ut gloriose facinore de Austriaca gente et imperio bene mereretur. Habet ille laudem suam, frendeant licet, qui [\* 4 a] in concepto scelere non triumpharunt, immo qui miserum Fritlandum consiliis suis perdidérunt. Documentum suo saeculo hic dedit, nihil ultra sortem suam tentandum esse et revereri supremam potestatem oportere, ambitiosis consiliis autem praebere nihil aliud esse quam cervicem securi obnoxiam ferre. Documentum exemplo signavit, dum sanguine suo praecipitem temeritatem stitit. Quippe qui divina humanaque iura contemnit, fatale sibi exitium accersit. Fabula nunc est, qui paulo ante Germaniae non exigua gloria, quamdiu fidelis, fuit. Et utinam mereri maluisset quam apparere. Sine diademate virtus etiam gloriosa est, immo gloriosior, cum contempsit. Nec praeclarus est aeternae [\* 4 b] gloriae theatrum quam recte factorum conscientia. Utut sit, cum alias saepe, tum in hac catastrophe caram sibi Austriacam gentem caelum ostendit. Vivit illa et ringentibus hostibus supra invidiam posita triumphat. A clade animum, ab hostibus splendorem, a caelo vigorem accipit, quia pia, quia pro religione et Deo pugnat. — Verum ne prostrato Fritlando clausa iam scena insultare videar, Tu amplissime praeses miserum hunc principem in oculos et manus admitte! In his cothurnis meum erga Amplitudinem tuam cum observantia affectum testabitur et pignus exsistet. Certe hoc qualicumque e Musarum nostrarum scriniis munusculo ostendere volui, quanto- [\* 5 a] pere Te venerarer, cuius ingenium pro communi salute assiduo laborat, cuius prudentia suis consiliis publicam incolumitatem procurat, cuius eloquentia,

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

quicquid ad Regiae Maiestatis dignitatem est, persuadet. Scit ipse Rex, qui te in isto honoris gradu apud Belgas collocavit; scit Princeps serenissimus, qui tuo consilio Catholicum Belgium gubernat; sciunt omnes, qui genii tui vim et virtutem admirantur. Et quamquam in difficillimam horum temporum tempestatem incidisti, habet tamen tua virtus eo latiore campum, in quo excurrat et se ad publicum bonum prodat. Nec fatiscit nec succumbit instarque palmae contra onus assurgit. Sic es quietis expers, ut quietem omnibus [\* 5 b] procures. Nec quicquam illustrius ad laudem est quam unum virum pro universis laborare. Ita invidiam bene faciendo vincis et vincendo tuo nomini immortalitatem acquiris. Complectentur illam favore suo posteri; ego in virtutum tuarum admiratione humanitatem exosculabor, taurorum in te ornamentorum condimentum. Ea fretus calamitosum hunc Fritlandum Amplitudini tuae sisto et felicia omnia voveo.

Lovanii Idibus Ianuarii anno partae salutis cIo. Ioc. XXXVII.

Amplitudinis tuae cultor et cliens

Nicolaus Vernulaeus.

[\*6a]

Ad Lectorem.

Tragoediae argumentum.

Argumentum tragoediae huius, amice lector, fortasse postulas. Verbo in dico et absolvo: Fritlandus est. Notum etiam pueris hoc nomen est et nominis fatum. In ore omnium est et commemoratur cum horrore. Vis amplius? Ille in Caesarem Ferdinandum secundum et in totam Austriacam gentem conspiravit. Subditus in dominum, praefectus exercitus in imperatorem, cliens in patronum et benefactorem. Eo prava consilia amentem impulerunt, ambitio innata pertraxit. Sed non tulit divina Providentia. Detecta conspiratio est et consilia plus quam hu- [\* 6 b] manae ambitionis prodita. Egregiorum fides ducum a Caesare stetit. Caelum tum abominando scelere extingui Austriacam gentem non voluit. Exstiterunt immortalitate dignissimi bellatores ex Hibernia Scotiaque, qui ut fidem suam Caesari ac toti orbi integrum testarentur, communi consilio et uno ictu conspirationem extinxerunt. Quinque victimae sunt caesae, quarum ultima dux ipse Fritlandus. Consilia Pilsnae inter coniuratores agitata, Egrae mors inficta XXV. Februarii anno MDCXXXIV.

[\*7a]

Personae Tragoediae.

Genius Austriacus.

Fritlandus seu Albertus Walstenius, dux Fritlandiae.

Algus Parasitus.

Senex.

Terscha

Kinskius

Illiuss

Neumanus

} Tribuni.

**Germania.**

Piccolominius seu Octavius comes Piccolominius, praefectus Caesareanus.

Butlerus, equitum praefectus, Hibernus.

Cordonus }  
Leslaeus } Scoti.

[\*7 b] Geraldinus  
Magdonellus }  
Ebroxius  
Burnaeus } Hiberni.  
Pedissequus.  
Chori quatuor.

**Approbatio Censoris.**

Tragoedia haec, mortiferum ambitionis malum pulcherrimis sententiis ad vivum depingens, lucem publicam meretur. Datum Lovanii X. Octob. MDCXXXVI.

**Antonius Loverius**, S. Th. Licentiatus,  
Apostolicus et Regius librorum censor.

[1]

**FRITLANDVS TRAGOEDIA.****Actus I. Scena I.****Genius Austriacus.**

Servus Tonantis, Genius Austriaceae domus

Custosque gentis, caelitum emissus plaga,

Ubi praepotentum fata volvuntur ducum,

Has viso terras. Mandat aethereae potens

5 Regnator arcis, et meus nunc est labor

Servare celsam gentis Austriacae domum,

Cui dira saevus fata molitur furor.

O efferatum pectus, o vecors scelus!

Tyrannus ille gentem ut evertat meam

10 Torrente fortuna ebrius? Tollat genus,

Cuius triumphis pronus arridet polus

[1] Et regna donat et novas pandit plagas

Novosque mundos? Ille Fritlandus sui

Oblitus, impos mentis et solo potens

15 Furore tantumne audeat? Tantum nefas

Animo revolvat et sua tentet manu?

Nec fulminandam credit ex astris facem

7\*

Suo imminere vertici? Non sic furor  
 Humanus astra decipit, non sic Tonans  
 20 Positis inultum deserit flammis scelus.  
 Video exsecrandum mentis insanae nefas,  
 Video arma et ignes, quodque iam demens parat  
 Imbuere ferrum sanguine et dira nece  
 Satiare mentem. Perge, quo effrenis vocat  
 25 Furor impotentem, congere immanes rogos,  
 Vienna flammis ardeat, densus polum  
 Subducat oculis fumus, innumerae fremant  
 Sub aere turmae, viribus vires tuis  
 Socient rebelles et suas ultro manus  
 30 Armata iungat Haeresis, nondum tamen,  
 Austriaca nondum corruet tanto domus  
 Impulsa motu; perfidos semper domat  
 Victrix rebelles et sua in caelum caput  
 Virtute tollit. Haeresis frustra suos  
 35 Distringit enses; capta bis cepit iugum  
 Rediitque Praga, semper infelix novos  
 Secuta dominos. Ille plus felix satis  
 Septentrionis turbo, dum imperii cupid  
 [3] Frenare sceptrum Marte Gothorum ferox,  
 40 Cruore caesus imbuit terram suo.  
 Austriaca nempe si premi gens hic potest,  
 Nunquam opprimetur, porriget dextram Tonans  
 Et sublevabit. Quis mihi emotum quatit  
 Stupore pectus? Sentio, attonitam calor  
 45 Mentem resorbet. Cerno districtos procul  
 Gladios remotae gentis et multo manus  
 Cruore tinctas; sanguine exundant dapes  
 Stratisque mensas inter et Bacchum viris  
 Caelo offeruntur victimae. Horrexit suum  
 50 Nox ipsa facinus, sidera accelerant faces,  
 Ut laeta tanti gloriam facti dies  
 Ostendat orbi. Euge, euge, iam Caelum tuam,  
 Hiberne, mentem laudat et dextram iuvat.  
 Aude, quod optas quodque posteritas probet,  
 55 Percute tyrannum! Praemium addicit Polus,

Dabit imperator, nomen et laudem legent  
 Seri nepotes. — Ecce par superis gradu  
 Fertur superbo, regna molitur nova,  
 Vicina nescit funera et praeceps ruit.

## Scena II.

Fritlandus. Senex.

Fritlandus.

- 60 Seu Phoebus undis tollat Eois caput,  
 Pulchra decorus aureae lucis coma,  
 [4] Seu fessus idem condat oceano caput  
 Curruque anhelum linquat exhausto diem,  
 Mihi per orbem neminem cernit parem.  
 65 Sors nostra superis me parem divis facit,  
 Mihi terra nullum.

Senex.

Prima stultitiae nota est  
 Sese aestimare plus satis. Quisquis sapit,  
 Se noscit hominem, sortis humanae reum  
 Obnoxiumque morti.

Fritlandus.

- An invideat mihi  
 70 Quisquam monarcha? Vicit invidiam mea  
 Fortuna cunctam; fractus est, quisquis potest  
 Mihi invidere. Prona iam nostram colit  
 Pavetque dextram terra nec dominum sibi  
 Tremens recusat. Gloria hoc ambit latus  
 75 Meque ipsa toto fama decantat solo.  
 Si Ferdinando sum minor, tantum meo  
 Deest corona vertici et nondum manus  
 Impleta sceptro est. Restat hoc unum mihi.

Senex.

- Quicunque domino comparat sese suo  
 80 Non est fidelis. Velle, quod domini est, decus  
 Est perduellis.

**Fritlandus.**

Ille sit maior licet,  
 Sit Caesar et rex, Hungarus dominum vocet,  
 Colat Bohemus; verticem attollens feror  
 Astris propinquum; spectat attonitus meos  
 Orbis triumphos, quos suo discit puer  
 Narrante patre, vulgus admirans stupet.  
 Sum nempe bellorum arbiter, cui tot manus  
 Ensesque parent, mille quem cingunt ducem  
 [5] Armis cohortes. Iura militibus fero,  
 Et ipse tutus aulicos inter greges  
 Per me quiescit Caesar et pacem colit  
 Bello petitus undique. Arbitrio meo  
 Stant pax et arma; quod volo, semper ratum est;  
 Quod dico, lex est; ipse sum Caesar, tenet  
 Solum ille nomen; sic meam sortem favens  
 Fortunat aether.

**Senex.**

Ista te oblitum tui  
 Perdet potestas, quoque te iactas magis,  
 Hoc te potestas ebrium excaecat magis.  
 Iactare sese fortis haud unquam solet,  
 In ore Martem semper ignavus gerit.

**Fritlandus.**

Quid restat ergo? Culmine in summo meae est  
 Fortuna vitae.

**Senex.**

Restat, ut subito cadas.  
 Difficile stare est culmine in summo diu,  
 Nisi temperatis.

**Fritlandus.**

Publici exitii mora  
 Hoc est in ense, dumque districtis fugo  
 Armis rebelles, Austriam Caesar suam,  
 Moravos, Croatas, Hungaros, Tyrolim tenet  
 Et quicquid ultra est. Incubat totum meis  
 Umeris caduci pondus imperii grave

- 110 Germaniaeque fractus afflictæ status.  
 Inimica solum turba Fritlandum timet,  
 In me ora vertit, quisquis hoc bello est miser,  
 Et ipse Caesar. Omnia nostro salus  
 Ab ense pendet; voce cunctorum petor,  
 115 Cum forte nostris ingruit bellum plagis.  
 [6] Namque ipse Caesar, quod potest, per me potest  
 Auroque nostro fit potens, et dum hostium  
 Impello terga et Martios frango globos,  
 Triumphant ipse. Debet imperium mihi  
 120 Quocunque restat, Austriam debet suam,  
 Et ne per oras iret externas procul  
 Miserandus exsul, patria exutus sua,  
 His debet armis.

### Senex.

- Obligatum qui sibi  
 Dominum esse credit, non diu dominum feret.  
 125 Sese mereri, quod tenet dominus, putat  
 Et ambit ultro. Nescit ambitio modum,  
 Fortuna vanum quando provexit virum  
 Et merita crescunt.

### Fritlandus.

- Laureae hoc cingunt caput,  
 Ornantque palmae dexteram. Toties meis  
 130 Rubuit sub armis Albis, et sensit suas  
 Visurgis undas stare, cum pleno alveo  
 Spolia et cadavera volveret. Timuit meum  
 Ensem Borussus, dumque ceu fulmen feror,  
 Quicunque populus Balticum litus colit,  
 135 Subiecit ultro legibus nostris caput.  
 Nec me ipsa tantum terra victorem videt;  
 Ne quid decesset, Balticum obsedi mare,  
 Aquae imperavi. Suecus invidit mihi  
 Lateque populis victor imposuit iugum;  
 140 In nostra sed mox arma convertens manus  
 Me fortiorem sensit et vitam exspuens  
 Solum momordit. Ille Caesarei throni

[7] Et candidatus orbis et Romae imminens,  
 Tarpeia qui iam saxa signarat suis  
 145 Locum trophaeis, me sibi plus quam parem  
 Moriendo dixit. Unica hac pugna mihi  
 Romam obligavi et Caesarem, cunctas simul  
 Timore solvi, qua patet mundus, plagas.  
 Ergo, anime, quid nunc?

**Senex.**

Omnium vitor fuit,  
 150 Sui esse vitor non potest. Animo nefas  
 Aliquod revolvit, occupat totum latens  
 Ambitio pectus corque vesanum quatit.  
 Parvo inchoabit conditum impulsu nefas.

**Scena III.**

Lalgus parasitus, Fritlandus, Senex.

**Lalgus.**

Dubione, princeps, pectore et lenta manu  
 155 Incertus haeres? Merita si expendis tua  
 Et quicquid a te Caesar accepit tuus,  
 Par esse meritis praemium nullum potest.  
 Unum est tuorum militum et magnum decus  
 Sub te mereri. Namque dum toto tua  
 160 Vagatur orbe fama, nos mundus stupet  
 Tuumque nobis gloriam infundit iubar.

**Senex.**

Ut mulcet illum! Fallere ut possit ducem,  
 Laudat furentem; blandientis prima vox  
 Laus ficta semper. Qui sapit, laudem fugit.

**Fritlandus.**

165 Sic est. Honoris particeps miles mei est,  
 [8] Quicunque castra sequitur; at noster quoque  
 Virtute vestra crescit et tangit polos  
 Honor invidendus.

**Lalgus.**

Quisquis aliorum est ducum,  
 Si tot triumphis Caesarem ornasset suis,  
 170 Tot subiugasset victor audaci feras  
 Mavorte gentes, regium sceptrum et thronum  
 Sibi postularet.

**Senex.**

Flamma sic flammae additur,  
 Ignemque cautus ignibus miscet novum  
 Parasitus iste.

**Fritlandus.**

Nil meis unquam satis  
 175 Meritis rependet Caesar.

**Lalgus.**

Haudquaquam potest.

Non si Bohemos, Austriam non si suam  
 Tibi cedat ultro. Debet imperium tibi,  
 Ut sic labori digna contingat tuo  
 Aliquando merces. Tu tua victor manu  
 180 Incerta Pragae regna, nutantem Austriam  
 Dubiosque nuper principe ambiguo diu  
 Silesios Moravosque servasti feros,  
 Ut nempe servus Caesari inclines caput.  
 Quoties pudendam Saxo corripuit fugam,  
 185 Cum tu immineres! Ferreas quoties tibi  
 Obiecit acies, sensit infractum tuis  
 Robur sub armis et vagos late cruar  
 Foedavit agros; Caesari victor tamen  
 Servire debes.

**Fritlandus.**

Iam pudet.

**Lalgus.**

Pudeat satis.

190 Famulare virtus ferre non debet iugum,  
 Sed imperare.

**Fritlandus.**

Non feram.

**Lalgus.**

Nec te decet,  
 Postquam triumphis Suecus adiunctus tuis  
 [9] Victoriarum perdidit mordens humum  
 Fructum suarum. Poterat hic solus tuum  
 195 Terrere ferrum, Tilliano dum ferox  
 Fato superbit totque munitas sibi  
 Urbes recludit; occidit victus tamen  
 Et Lipsiano regius campo crux  
 Tuo sub ense fluxit. Hinc late tuum  
 200 Cunctas per oras fama vulgavit decus.  
 Et adhuc subesse Caesari vix potes?

**Senex.**

Laus ista pectus impulit, plus quam satis  
 Sese animus effert seque iam talem putat,  
 Qualem iste laudat.

**Fritlandus.**

Magne caelorum Deus,  
 205 Quantus sub isto pectore insurgit vigor!  
 Quam se lacescit et fores cordis quatit  
 Ignita virtus! Praemium dignum meo  
 Reddet labori Caesar aut — Sed sit satis!  
 Alta repostum mente consilium latet.

**Lalgus.**

210 Generosa virtus perpeti opprobrium nequit.  
 Iam te ipse Caesar spurnit et damnat fidem  
 Toties probatam, tutus ut rursus tuam  
 Auctoritatem deprimat. Bavarus novo  
 Incensus odio ferre Fritlandum nequit  
 215 Et te aut remotum aut mortuum demens cupit.  
 Septemvirorum quisquis aliorum miser  
 Inopsque restat, opprimi sese tuis  
 Putat trophyis et suam cladem tibi  
 Transcribit uni. Nempe pro affectu invidi  
 [10] Odium rependunt. Et feres?

**Fritlandus.**

Nunquam feram.

Arma ista manibus detrahet nemo meis  
 Nec ipse Caesar. Pressus auxilium petit  
 Et nostra supplex arma deposcit sibi  
 Aurumque nostrum; cessit at postquam hostibus  
 225 Caesis periculum, rursus opprobrium nova  
 Pro laude reddit meque victorem iubet  
 Abesse castris.

**Lalgus.**

Sola te invidia opprimit.

Animum resume! Nullus a quoquam est timor,  
 Et merita noscit hostis et dextram colit.  
 230 Etiamque amicus, si voles, fiet tuus,  
 Ut ipse regnes. Caesarem amotum volunt,  
 Quicunque miseram patriae cladem gemunt  
 Nec ferre durum gentis Austriacae iugum  
 Ultra peroptant. Servitutis iam pudet  
 235 Calamitosae, principum forsitan magis.  
 Tibi tota supplex patria protendit manus  
 Opemque poscit: diripit pernox agros  
 Et cuncta vastat miles et vitae incubat  
 Grassator audax. Pulsa nobilitas perit  
 240 Capiuntque cives lege proscripti fugam,  
 Quam fert tyrannus. Pellitur certo fides  
 Munita pacto, templa ploratu sonant,  
 Sonant et urbes. Sede deicitur sua  
 Caeleste numen et suo sacri carent  
 245 Censu ministri, lege dum Caesar nova  
 Fidei occupata repetit antiquae bona.  
 [11] Vis cuncta vertit, Caesari vires potens  
 Iberus addit et suo fastu incitat,  
 Ut has cruenta subiuget terras manu.  
 250 Nondum excitaris? Ipsa libertas perit,  
 Servire restat. Dum potes, princeps, iuva!

**Fritlandus.**

Quid agam?

**Lalgus.**

Quid? Armis occupa regnum tuis!  
Subdent Bohemi colla, te regem volunt.

**Fritlandus.**

Et non resistet Caesar?

**Lalgus.**

Hunc ponas metum!

255 Tu bella ducis; impera, quicquid voles,  
Miles sequetur, gentis Austriaceae cadet  
Fortuna retro; parta erit patriae salus  
Hostisque concors arma deponet sua,  
Una illa saevo si domus fato ruat.

**Fritlandus.**

260 Res ista molis arduae est.

**Lalgus.**

Facilem dabunt

Auxilia regum. Francus imperium cupid.  
Iuvando speret, spem potes certam dare,  
Et ipse iunget arma. Nec deerit tibi  
Batavus rebellis, hostis Hispani vetus,  
265 Qui nunc triumphis spernit Austriacos suis.  
Scis, ille quantum possit et quantum velit  
Sacra decorus purpura, cui non parem  
Videbit orbis, cuius ingenio suas  
Extendit oras Francus et pulsis rapit  
270 Fasces dynastis. Veniet in partes tuas  
Bellator Hornus, Finnus et Lappus simul  
Et ille terror Caesaris, ferro potens  
Weimariensis. Omnium pro te ruent  
[12] In arma dextrae. Perge, quo tua te vocat  
275 Fortuna, princeps! Unica ad regnum est via,  
Si multa dones, plura promittas simul.  
Partire mundum; si tibi est forsitan parum,  
Partire caelum! Rex eris.

**Senex.**

Mentem impulit  
Parasitus iste, iamque commotum quatit

280 Ambitio pectus. Fertur incertus tamen,  
Consilia versat, huc et huc pondus rei  
Trahit nefandae nec sibi constat satis.

**Fritlandus.**

Tu vade, cunctos convoca Pilsnam duces!  
Adsint tribuni; namque consilio est opus.

**Scena IV.**

**Fritlandus. Senex.**

**Fritlandus.**

285 Anime, quid haeres? Debitum est regnum tibi  
Et merita poscunt. Quid moras latus trahis?

Affusa pedibus Teutonum tellus meis  
Opem requirit, sancta libertas abit  
Nostramque pulsa vindicem implorat manum.

290 Anime, quid haeres?

**Senex.**

Cogitatum sic nefas

Exercet animum, saeva tempestas velut  
Nunc huc et illuc rursus impellit mare  
Fluctuque moto pugnat et vento simul.

**Fritlandus.**

O anime, numquid rursus opprobrium feres?

295 Et me remoto militum curam alteri  
Dabit ipse Caesar et meam eludet fidem?

[13]

**Senex.**

Suspecta ferre debet opprobrium fides.

**Fritlandus.**

Post tot triumphos, nostra quos virtus tulit,

Post tot labores inter armorum metus

300 Victoriasque spernar? Eiciar, premar?

**Senex.**

Saepe in triumpho victor occumbit suo,

Dum mutat animum et insolens fallit fidem.

**Fritlandus.**

Ut alius arma ducat et bellum regat?  
 Ut haec relinquam castra privatus mea?  
 305 Non si ipse iubeat rector astrorum tonans  
 Terrisque pontum iungat et ponto Stygem  
 Atlasque superi pondus excutiat poli.  
 Non si ipse mundos armet Hispanus novos  
 Et has in oras Indiam effundat suam.  
 310 Contempta virtus impetu assurgit suo  
 Sese lacessens nec novas leges capit.  
 Mea castra sunt haec et meus miles mihi  
 Parere debet.

**Senex.**

Caesari miles suo  
 Iuravit omnis et tua imperio est fides  
 315 Adstricta sacro. Si Deum nondum times  
 Regumque vires temnis, exitium cave!  
 Frustra potentem nemo contempsit Deum,  
 Gravi ille semper perfidos mactat nece.

**Fritlandus.**

Semperne victor serviam? Nunquam hoc caput  
 320 Diadema cinget? Non meam hanc sceptrum manum  
 Ornabit unquam?

**Senex.**

Sortis ignarus tuae es:  
 Privata vix te nobilem eduxit domus;  
 Aliquid mereri licuit et Caesar ducem  
 [14] Mox te creavit, opibus ornavit quoque.  
 325 Tu vince mentem! Regna largitur Tonans,  
 Et rapere qui vult, in suum accersit caput  
 Fatale fulmen.

**Fritlandus.**

Nil moror, iam mens rata est.  
 Peribit iste Caesar atque uno domus  
 Auctriaca fato. Debitum est regnum mihi,  
 330 Etiam quod ultra est.

## Senex.

Sic furor mentem rapit,  
 Sic insolecit, quisquis ex parva caput  
 Attollit aula. Nescius fati est furor.

## Chorus.

De ambitione, superbia et vanitate hominis.

Seu nova Phoebus lumina sumens  
 Plenas ducat luce quadrigas  
 335 Seu se medio libret in orbe  
 Silvaeque breves deprimat umbras  
 Seu fessus aquas petat occiduas  
 Vultumque suum subtrahat orbi,  
 Donec fessos recreet currus,  
 340 Cernit miserum magis haud quicquam  
 Quam brevis aevi, sortis et hominem.  
 Capit aethereis semen ab astris  
 Et divinae particulam aurae  
 Imbibit intra corporis artus  
 [15] Spirante Deo, ratioque illi  
 Vertice summo ceu flamma micans  
 Fulget nitido purior astro.  
 Illum ambitio sed dira quatit  
 Animum assiduo verbere stimulans,  
 350 Semper ab imis tendat in alta.  
 Se sorte sua non metitur,  
 Vano tantum fertur amore  
 Et cuncta suo condita credit,  
 Ut servitio placeant homini.  
 355 Illi Phoebus surgat Eous  
 Astra que seris lucida facibus  
 Densas noctis tenebras pellant.  
 Dignam satis haud reputat terram,  
 Quam suspenso terat incessu,  
 360 Cui tamen artus moriens fractos  
 Reddere debet gremioque piae  
 Condere matris. Se fortuna

- Genetrice satum, cuius nunquam  
Sentire queat perditus iram.
- 365 Cum sublimes prendit honores,  
Lubrica mundi culmina tangens  
Fallitur et spe fertur inani.  
Spes ipsa fugit similis fumo,  
Vacuas qui mox fugit in auras,
- 370 Et tot constans gloria votis  
Levibus volat hinc ocior Euris,
- [16] Quicquid et orbis stupet attonitus  
Oculis parvo tempore splendet.  
Et tu, nove dux Fritlande, tuos  
375 Pateris manes dumque superbo  
Tolleris ausu, noscere temet  
Utinam posses! Vela dedisti  
Et tua placido per mare vento  
Superat fluctus concita navis,
- 380 Sed mutata forsitan aura  
Et ludibrium et spolium debes  
Ventis pelagoque; aut te nimium  
Fausta perdes sorte beatum.  
Cum tibi ridens fortuna favet,
- 385 Fidere noli! Subito risum  
Proicit et, quem sustulit alte,  
Uno fractum deprimit ietu.  
Fovet amplexu, perdere quem vult,  
Et blanditiis parat insidias
- 390 Nectens inter fata triumphos.  
Felix nimium, qui sorte sua  
Contentus agit nec curat opes  
Et fallacis respuit orbis  
Culmina maior. Felix iterum,
- 395 Qui fortunae munera temnens  
Virtute sua sese involvit,  
Quem praeclari gloria facti  
Spreto vulgi rumore levi
- [17] Iuvat aeternum nec se falli  
400 Aut blanditiis sinit aut vano,

Quem sors meritis spondet, honore.  
Spreto semper maior honore est,  
Qui sua claudit pectore merita  
Et mercedem sperat ab astris.

Finis Actus primi.

Actus II. Scena I.

Lalgus parasitus. Senex.

**Lalgus.**

405 Ergo laboris faustus eventus mei est.  
Coeunt tribuni, vota Fritlandi probant.  
Iurata iungent arma, Caesarea ut domus  
Excisa ferro pereat et stirpis crux  
Unius isto solvat imperium iugo.

**Senex.**

410 Sceleris minister improbi, nondum pudor  
Os istud, istam debitae poenae metus  
Mentem flagellat?

**Lalgus.**

Ibit in cineres domus,  
Quae cuncta legibus hactenus frenans suis  
Oppressit orbem. Sero, sed tandem tamen  
415 Austriacus uno concidet fastus die  
[18] Et sancta rursus iure libertas suo  
Recreabit orbem.

**Senex.**

Perfide, hoc nondum nefas  
Decrevit Aether nec piam stirpem Tonans  
Perire, Stygii frendeant manes licet,  
420 Permittet unquam. Non favet sceleri Deus  
Vindexque fato sceleris auctores premit.

**Lalgus.**

Frustra Philippus sole ab occiduo sua  
Immittit arma totque nequ quam vovet  
Haustas ab Indis et suis regnis opes.  
425 Servare nunquam sanguinem hic poterit suum  
Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Suaeque stirpis regna. Pax uno venit  
Emenda fato, gentis unius nece.

**Senex.**

Consilia struere grandis impietas potest,  
At ille terrarum arbiter, rector poli,  
430 Qui sceptra regum lege dispensat sua  
Mortaliumque fata moderatur manu  
Ac semper aequus, exitum certum dabit,  
Quem scire nunquam pravitas audax potest,  
Sentire tantum sed potest.

**Lalgus.**

Gaude tuo,

435 Germana tellus, omne! Affulget dies,  
Quo te benignus liberam aspiciet polus.  
Ratum est, superbos unus Austriacos dies  
Delebit omnes; obruet totam crux  
Effusus aulam; feminas simul et viros  
440 Idem manebit exitus. Nullum sua  
Servabit aetas, et viris iunctus puer  
Cunis in ipsis capiet a ferro trucem  
[19] Vel ab igne mortem.

**Senex.**

Falleris. Potius diem

Phoebus relinquet noctis aeternae reus  
445 Et terra caelum pondere immenso premet  
Et ima Ditis regna concutient polum,  
Quam desit ulti. Laeta sunt semper mali  
Principia magni, at exitus tristis manet  
Abominandus, asper et durus nimis.

**Lalgus.**

450 Nec certa longam fata concedunt tibi,  
Ibere, vitam. Stirpe cognata obruta  
Tuam videbis perditis regnis necem.  
Clauderis armis undique et tibi tot feros  
Numerabis hostes, regna quot parent tuo  
455 Subiecta sceptro. Sic tuus frustra furor

Minas inanes evomet. Frustra voles  
Clausus tot hostes inter ulcisci tuos.

**Senex.**

Praedicit aliis fata nec novit sua  
Parasitus iste. Quod cupid, factum putat  
460 Aut mox futurum.

**Lalgus.**

Caesari infelix favet  
Iuvatque Bavarus, nempe ut exitio cadat  
Simili peremptus et suae poenas luat  
Defectionis. Hos meis motus dolis,  
Has excitavi mente versuta vices. —  
465 En dux. At isto tristis ut vultu iacet !  
Ut fluctuantes ponit incertus pedes !

[20]

**Scena II.**

Fritlandus. Lalgus. Senex.

**Fritlandus.**

Mente inquieta volvor et nostras quatit  
Horror medullas; frigido huc atque huc fluit  
Sanguis meatu. Multa deludunt meam  
470 Simulacra mentem, nec satis constant sibi  
Oculi pedesque. Fallor, aut animi hic pavor  
Est ominosus. Magna conanti est opus  
Adferre constans pectoris robur sui  
Nec retro mentem flectere aut dubium metu  
475 Mutare sensum. Rector astrorum, vides  
Hos concitati pectoris motus mei,  
Istas procellas mentis et vanos metus  
Et ominosum noctis unius malum.  
Animumne mutem? Non licet; patriae incitat  
480 Pereuntis ardor, cordis invicti vigor  
Impellit ultro. Non licet.

**Senex.**

Semper licet  
Mutare mentem, quando peccandum est semel.

8\*

**Fritlandus.**

Inusitatum molior si tam nefas,  
 Horrendum unde concutit mentem pavor?  
 485 Necessitatis istud est nostrae malum.  
 Aliter redire pax nequit; nec si domus  
 Illa una regnet, patriae afflictæ status  
 Unquam quiescat. Per nefas semper licet  
 Consulere patriæ, causa communis nefas  
 [21] Excusat istud. Esse peccatum nequit,  
 Quocunque tandem quaeritur pacto salus.  
 Dignam labori posco mercedem meo.  
 Quae culpa nostra est? Caesarem oppressum volo.  
 Sunt hæc inquietæ sortis humanæ vices.  
 495 Non semper eadem gentium sceptrum manus  
 Versare debet.

**Senex.**

Per nefas nunquam salus  
 Quaerenda patriæ est, nullaque excusat scelus  
 Communis etiam causa, nec fas est suum  
 Opprimere regem.

**Fritlandus.**

Quis meum rursus dolor  
 500 Infestat animum? Quis pavor pectus quatit?  
 Exhorret animus, quicquid in mentem venit,  
 Horrensque retro labitur.

**Senex.**

Nunquam metu  
 Carere magno conscient sceleris potest.  
 Sese flagellat conscient pectus metu.

**Fritlandus.**

505 Actum est, reverti non licet, iacta alea est.  
 Ad culmen ibo dignitatis, quo vocat  
 Me sors Deusque et patriæ afflictæ salus.  
 De me loquatur orbis et famam augeat,  
 Curare magni non solent famam duces.

## Senex.

510 Curare famam, qui sapit, semper solet.  
Fama est honoris praeco, quem quaerunt duces.

## Lalgus.

Adsunt tribuni, magne dux. Mentem advoca!  
Cupido regni semper excludit metum.  
Supra timorem quisquis est, compos sui  
515 Fit saepe voti; terror ignavos decet.

## Scena III.

Fritlandus. Terscha. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex.

## Fritlandus.

Non parva, proceres, causa consilium expetit.  
Patriam putate pedibus affusam meis  
Situ obsitam, squalore confectam, gravi  
Timore pressam aut potius oppressam iugo.  
520 Nihilne dabimus patriae? Longo hactenus  
Exhausta bello, motibus semper novis  
Ulro patebit? Nullus optatam dies  
Pacem reducet? Testor astrorum Deum  
Istasque caeli, qua patet circum, faces,  
525 Haec una pectus causa perturbat meum  
Trahitque curas. Alius aut belli modus  
Aut sancienda, quo licet, pax est modo.  
Tantum severis Caesar edictis tonat  
Cunetosque terret; exsulant cives boni,  
530 Proscripta misere tota nobilitas fugit,  
Iustitia nulla est, pellitur templis fides.  
Permissa ritu sacra iam pridem novo  
Violantur iterum, nec sequi patrem potest  
Credendo natus; tota maiorum simul  
535 Damnatur aetas, iuraque imperii iacent  
[28] Et quicquid ordo principum sanxit prius.  
Non ipse Caesar, exteri tantum regunt  
Gravisque fastu patriae incumbit suo  
Iber superbus, insolens, atrox, ferus.

- 540 In me odia vertit, utque dominetur magis,  
 Me constitutum damnat armorum ducem  
 Hostemque fingit et meam accusat fidem.  
 Patiarne, proceres? Si quis est in me patrum  
 Sanguisque avorum, quaeque Germanum facit
- 545 Invicta virtus, patriam incolumem dabo  
 Simulque laetam et turpis ignaram iugi.  
 Modus unus hic est: Caesar occumbat neci  
 Cum stirpe tota, gentis Austriacae crux  
 Patriae ruinas eluat, nec sit puer,
- 550 Qui forsan illud rursus instauret genus,  
 Idemque fatum Bavarus inconstans ferat.  
 Fidei sequetur inde libertas novae,  
 Aut quam Lutherus scripsit aut patriae patrum  
 Augusta voto tradidit. Quisquis suas
- 555 Amisit exsul patria excedens opes,  
 Rursum occupabit. Praemium hoc unum peto.  
 Regem Bohemus, me Austria archiducem colat,  
 Aliae dynastam me suum noscant plagae.  
 At vos, tribuni, praemium hoc ingens manet,
- 560 Auctriaca quicquid amplius frenat domus  
 Vel quisquia in nos forsan armabit manum,  
 Id omne meritis debitum vestris dabo.
- [24] Provinciarum spolia, gazas urbium,  
 Aurum incolarum. Vos mihi mentem et fidem
- 565 Iurate cuncti: prima lex patriae est salus.

## Senex.

Quaerit salutem patriae evensor sua.

## Terscha.

- Quodcunque tentas, mentis excelsae est opus,  
 Istamque mentem solus inspirat polus.  
 Fuit hic avorum, crede, nostrorum vigor
- 570 Et ista virtus, libero imperio suos  
 Frenare populos nec iugum regis pati,  
 Servire nulli. Cernere Arminium licet,  
 Cum te videmus, gentis ultorem sua  
 Et qui superbam perculit Romam metu

- 575 Audaciamque fregit. Impellat tuum  
 Laus ista avorum pectus et patriam pari  
 Defende mente! Cuncta conanti licent,  
 Cum sola patriae petitur afflictæ salus.  
 Fas est, quod esse forsitan posset nefas,  
 580 Commune cunctis quando sancitur bonum.  
 Gravis una gens est omnibus. Pelle, obrue,  
 Exscinde, nostras libera terras metu!  
 Crudelitatis hoc genus pietas erit.  
 Sis rex et istud, quod cupis, sceptrum rape!  
 585 Mentem fidemque iuro.

**Senex.**

Dum iuras fidem,  
 Violas eandem. Perfidis nihil est nefas;  
 Patriae salutem velle se simulant suae,  
 Hanc quando produnt.

**Fritlandus.**

Deerit haud merces tibi.  
 Moravos dynasta Martiam gentem reges.

[25]

**Kinskius.**

- 590 Iuvare tantum certa multorum fides  
 Debet laborem. Quid petas, princeps, vide!  
 Res magna magnis semper auxiliis eget.  
 Tibi arma iunge Caesaris! Ferro et manu  
 Opus est, ut istud culmen Austriacum cadat.  
 595 Diffide, fide, quicquid in promptu est, time  
 Speraque semper! Facere te regem potest,  
 Quicunque Caesarem odit et forti iugum  
 Collo repellit. Fac tibi iurent fidem  
 Tui tribuni, Caesari abiurent fidem  
 600 Et ipse miles te suum agnoscat ducem,  
 Ferrum manumque iungat in quosvis licet,  
 Etiamque contra Caesarem! Multo tibi est  
 Parandus auro miles; hoc uno suam  
 Vitam fidemque vendit et morti obvius  
 605 Temnit periculum.

**Senex.**

Doctus hic politicus est.  
 Iurare et abiurare nil curat fidem  
 Nullumque credit esse pro regno scelus.  
 Simulare novit.

**Fritlandus.**

Militem adiungam mihi.  
 Mecum ille victor hactenus praedam tulit.

**Illous.**

- 610 At parva magnos saepe conatus mora  
 Solet impedire. Quod cupis, celeri impetu  
 Tentare debes. Consilia prodit mora  
 Interque multos vix sibi constat fides  
 Silentiumque. Caesar explorat tuos  
 615 Animos et ausus. Mille te circum puta  
 Oculos et aures; quodque iam nondum times,  
 [26] Timere debes. Nulla fortunae est fides,  
 Securitasque semper incautos premit.  
 Alios tribunos advoca et cunctas tibi  
 620 Adiunge turmas! Haec tibi ad regnum est via,  
 Si destitutus milite et solus sibi  
 Caesar relictus aetheris frustra fores  
 Precando pulset. Anxios inter metus  
 Urgenda res est. Qui timet, iam victus est.  
 625 Ne perde tempus! Tempori virtus quoque  
 Parere debet.

**Senex.**

Plus satis sceleri hic sapit.  
 Deliberare qui solet, raro est nocens,  
 Oditque lentas improbus semper moras.

**Fritlandus.**

Nihil morabor, vestra sit constans fides.

**Neumanus.**

- 630 Tibi nostra certa est. Ceteros timeas licet  
 Aut obligatos in tuas partes trahe.  
 Vereor Galassum, Piccolominium quoque.

Sed vince utrumque! Si dolo forsan nequis,  
 Tentabis auro. Magna constantem fidem  
 635 Promissa mutant. Flectere aut debes metu  
 Terrere cunctos. Spes movet, cogit metus.  
 Hostes amicos effice! Hoc robur tuis  
 Est grande rebus. Caesarem dum non ferunt,  
 Fient amici. Verte in hunc, quicquid potes,  
 640 Et te sequentur. Omnium mentes movet  
 Libido regni. Regna pollicitus nova  
 Animos fidemque partibus iunges tuis.

**Senex.**

Difficile non est improbos certo simul  
 [27] Coire pacto; vota coniungit scelus  
 645 Ligatque mentes.

**Fritlandus.**

Iam mihi adiunxit fidem  
 Weimariensis. Ille Danubium tenens  
 Toti minatur Austriae et nostro quatit  
 Vicina nutu, dum Ratisbonam obtainens  
 Formidolosum Caesari offundit metum.  
 650 Hic me iuvabit, Saxonum ut lata potens  
 Dicione princeps fiat et rursus patrum  
 Tueatur armis iura. Nec deerit meis  
 Arnhemius ausis, quem suum agnoscat ducem  
 Pomerana tellus. Tuta consilia urgeo,  
 655 Et iam benigno rebus arridet novis  
 Fortuna vultu. Restat, ut certo fides  
 Sit vestra signo. Scribite!

**Terscha.**

Hoc pignus meae  
 Consigno fidei. Fidus et constans ero  
 Etiamque contra Caesarem.

**Kinskius.**

Signo manu,  
 660 Quod mente iuro: Caesarem contra licet.

**Illous.**

Quod scribo, iuro: Caesarem contra sequar.

**Neumanus.**

Nec arma manibus Caesarem contra excident.  
Hoc esto signum.

**Senex.**

Signa perfidiam notant,  
Ut sceleris una dent simul poenas sui.  
665 Sic in ruinam et in necem caeci ruunt,  
Namque esse felix improbum foedus nequit.

**Fritlandus.**

Bene vertat Aether.

**Senex.**

In tuum vertet caput.

**Fritlandus.**

Vestra ista tandem me fides regem facit.  
Quod ergo restat, ipse vos faciam duces  
670 Et partiemur, quicquid Austriaci tenent  
[28] Et quicquid hostes. Francus imperium petit.  
Istud videbo; veniat in partes prius.  
Adsit Galassus, Piccolominius quoque  
Aliusque, nostris quisquis auspiciis regit  
675 Tribunus arma; nam novam cuncti fidem  
Iurare debent. Munus hoc vestrum est, duces,  
Huc evocare singulos. Pragam prope,  
Ubi Montis albi culmen assurgit polo,  
Instructus armis occupet miles locum  
680 Mihiique iuret, Caesarem eiuret simul.

#### Scena IV.

Lalgus parasitus. Senex.

**Lalgus.**

Inculta mens est; iste Fritlandus meas  
Eludet artes forsitan. Tantum iubet  
Sperare Francum speque non certa tamen  
Auxilia quaerit.

**Senex.**

Saepe deludit duces

- 685 Spes sola magnos; quique subsidium suis  
Parare rebus debet, incertus licet,  
Et pollicetur plurima et praestat nihil.

**Lalgus.**

- Rex noster istud solus imperium potest  
Armis tueri, dumque iam late suas  
690 Extendit oras, turbat Europam metu  
Et facere sese Caesarem solus potest.

**Senex.**

- Aliena saepe qui petit, perdit sua.  
Dum cuncta Gallus turbat, accersit suo  
[29] Capiti periculum.

**Lalgus.**

- Rapiet imperium sibi  
695 Procerum vel ultro deferet sceptrum favor.  
Nec ipse regnum rapere Fritlandus potest,  
Nisi Francus armis Caesarem contra iuvet  
Et ipse fiat Caesar.

**Senex.**

- Hoc sese modo  
Ambitio semper decipit. Nec rex erit,  
700 Qui nunc dolosa mente Fritlandus furit,  
Germana nec gens Caesarem Gallum volet.

**Lalgus.**

- Suspecta res est. Forsan imperium sibi  
Fritlandus ipse servat et tantum meo  
Spes est monarchae.

**Senex.**

- Caesarem nullum volet,  
705 Qui ferre tantum Caesarem iam non potest.  
Animos rebelles sola libertas movet.  
Aliquem imminere ceteris nunquam volunt  
Nec eminere; forsitan imperium volent  
Commune cunctis.

**Lalgus.**

Caesar aut sit rex meus

- 710 Aut nullus, uno sed tamen lapsu cadat  
 Austriaca gens, quae viribus totum suis  
 Deterret orbem; plus satis Francis erit.  
 Et ille nostras qui manus ferro replet,  
 Qui cuncta miscet, cuius arbitrio duces  
 715 Surgunt caduntque, purpurae sacrae decus,  
 Una hac ruina vota complebit sua.

**Senex.**

- Gentis ruinam quisquis Austriacae cupit,  
 Suam ipse quaerit. Illa decreto poli  
 Sancita nondum est. Franciae timeo tuae.  
 720 Qui plus cupit quam debet, exitio luit.

[30]

**Lalgus.**

- Non hic morabor; dubia Fritlandi movent  
 Consilia curam. Si quid est in me doli,  
 Versabo totum mentis iusanae ducem.  
 Sine rege tantum rapere vix regnum potest.

**Senex.**

- 725 Age perge, totos excute ingenii dolos  
 Versaque mentem! Sortis impelles rotam,  
 Ut citius arte pereat imprudens tua,  
 Quem caeca fecit mortis ambitio reum.

**Chorus.**

De invicta Austriacorum fortuna.

- Livore nunquam Austriaca gens  
 730 Potest carere; ceu petit  
 Sublime fumus, sic eam  
 Invidia tangit. Semper hanc  
 Adversa bello sors premit,  
 Et dum sua virtute se  
 735 In astra tollit, aemulos  
 Aut invidentes invenit,

- Gravis ille multis splendor est  
 Magnaeque vis potentiae,  
 Qua frenat Eoas plagas,  
 740 Qua frenat Occiduas quoque  
 Lateque terror omnium est.  
 [31] Invicta sed tantae domus  
 Fortuna ridet invidos  
 Et se lacessentes premit,  
 745 Virtute dum flectit polos.  
 Rudolphus auctor inclitae  
 Parensque gentis, dum sua  
 Pietate caelos commovet,  
 Diadema Caesarum tulit  
 750 Hostesque dextro numine  
 Prostravit omnes. Tunc suum  
 Secutus Albertus patrem  
 Ausu peremit aemulum  
 Audaciore. Hunc post duces  
 755 Gente ex eadem, qui sacros  
 Tenuere fasces imperii,  
 Iugum addiderunt hostibus  
 Et scepta servarunt sua.  
 Decus ille mundi Carolus,  
 760 Quo nemo maior, omnibus  
 Trophaea terris intulit  
 Novasque terras et novum  
 Aperuit orbem, scilicet  
 Ut imperii idem terminus  
 765 Qui solis esset et poli.  
 Sic in triumphos extulit,  
 Ut regna frenaret soli,  
 Gentem hanc polarum rex Deus.  
 [32] Vis nulla contra sufficit,  
 770 Ruit in ruinam sed suam  
 Poenasque solvit, dum exigit.  
 Tunc nempe Caelum militat  
 Pugnatque cum Caelo Tonans,  
 Gens ista quando tangitur.

775 Placere superis qui potest,  
 Dolis capi mortalium  
 Armisque vinci non potest.

Finis Actus secundi.

Actus III. Scena I.

Germania. Genius Austriacus.

Germania.

Beate caeli rector et mundi arbiter,  
 Qui fata regum lege dispensas tua  
 780 Hominumque sortem, qui tuo nutu regis  
 Lucis parentem, seu suas ortu novo  
 Implens quadrigas adferat mundo diem  
 Seu rursus illas caerulo abscondens mari  
 Noctem reducat, o meam, o o, si meam  
 785 Cladem videres! Cernis aethereas plagas,  
 [33] Stellata qua se machina amplectens polum  
 Utrumque pandit; cuncta terrarum vides,  
 Seu versus ortum, versus occasum quoque  
 Et qua calores solis exurunt solum  
 790 Et qua rigescit frigore immani solum,  
 Etiam hos dolores et meos cernis metus.  
 Quousque tandem? Squalida, infelix, inops,  
 Cruore foeda, lacrimis implens sinus  
 Advenio supplex. Illa sum, si sum tamen,  
 795 Germana tellus. Imperi sedes tui,  
 Bellona toties cuius evertit statum  
 Grassante Marte, cuius extinxit decus  
 Violenta populos Haeresis fallens meos.  
 Evidem superstes sum mihi, sed sum meae  
 800 Cladi superstes. Magne caelorum Tonans,  
 Si nostra nondum fata decrevit Polus,  
 Hoc oro, non ut Persicas frenem plagas,  
 Non ut cruentis inferam Turcis iugum,  
 Divesque nostris legibus subdat caput  
 805 Arabs et Indus; una gens ut sit mihi  
 Oro superstes, cuius imperio et manu

Iam tota servor, cuius auxilio tuus  
 Renovatur in me cultus et patrum fides  
 Sua iura recipit. Austriae gens haec tuae est,  
 810 Quam turbulenti tollere e mundo duces  
 (O o nefas, o dira Germanae lues  
 Pestisque terrae) tollere e mundo duces  
 [34] Iam iam laborant. Et feret, tantum nefas  
 Patietur Aether?

**Genius.**

Ominosos hos metus,  
 815 Germana tellus, pone! Sum genti datus  
 Defensor isti, veniet e supero gravis  
 Vindicta caelo; non cadet.

**Germania.**

Sed me tamen  
 Percellit horror; omen avertat Tonans.

**Genius.**

Avertet istud.

**Germania.**

Gentis Austriacae ultimum  
 820 Funus minantur.

**Genius.**

Funus invenient suum.

**Germania.**

Seseque scripto et mente iurata obligant.

**Genius.**

Ut sic rebelles in suam sortem ruant.

**Germania.**

Pauci fideles Caesaris causam fovent.

**Genius.**

Pauci fideles detegent, quicquid latet.

**Germania.**

825 Tamen est timendum —

**Genius.**

Scelere detecto nihil.

**Germania.**

Fritlandus iste robur armorum tenet.

**Genius.**

Sed mox in ipsum robur armorum cadet.

**Germania.**

Difficile forte est opprimere tantum ducem.

**Genius.**

Manus una tantum deprimet ferro ducem.

**Germania.**

830 Ecquem timebit?

**Genius.**

Quem timendum non putat.

**Germania.**

Audere tantum nemo Germanus potest.

**Genius.**

Audebit aliis, quem sibi fidum putat.

**Germania.**

At saeptus armis undique est —

**Genius.**

Claudetur ipse. Armis quoque

**Germania.**

Forte pugnandum diu est.

**Genius.**

835 Uno peremptus iste dux ictu cadet.

**Germania.**

Plures eodem scelere distingent manus.

**Genius.**

Plures eodem concident fato simul.

**Germania.**

O quanta clades !

**Genius.**

Parva, magnorum tamen,

Et inter epulas victimae tantae cadent.

[35] Animus resume ! Gente servata Austriae

Nunquam peribis. Sum tuus, qui sum illius  
Custos et illam teque servabo simul.

**Germania.**

Perire nunquam, quem Polus servat, potest.

**Scena II.**

Fritlandus. Terscha. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex.

**Fritlandus.**

845 Adhucne dubias Piccolominius moras  
Trahit ergo ? Rebus tarditas magnis nocet.  
Consilia lentae saepe confundunt morae.  
An nostra forsitan iussa contemnit ferox  
Et suspicatur, quidquid occultum volo ?  
850 Volver, revolvor anxius, nec se satis  
Tutatur animus turbido horrescens metu.  
Et quid moratur ?

**Terscha.**

Pelle, dux, animo metum !

Via longa multas saepius nectit moras.  
Retinent cohortes, iussa praefecti petunt.

**Fritlandus.**

855 Ducas supremi iussa discutiunt moras.  
Obtemperandum, cum iubet, cunctis cito est.  
Adesse pridem debuit. Sed tu moras  
Abrumpe, Terscha, quodque iam tempus petit,  
Age ut Viennam miles armatus petat,  
860 Diripiatur urbem, Caesarem et totam domum  
Subiciat ensi, quodque decretum est semel,  
Occumbat uno tota progenies die  
[36] Etiamque ferro pereat in cunis puer

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Lateque cunctas flamma populetur domos !  
 865 Decreta iam pridem est dies. Sed tu quoque  
 Contende Pragam, civium mentes mihi  
 Et quicquid ultra est, praepara ! Nam me suum  
 Excipere debent principem et sceptrum dare.

### Terscha.

Ibo, parabo cuncta. Quod superest, tuos  
 870 Tibi tribunos iunge ! Nam miles suos  
 Duces sequetur.

### Fritlandus.

Vade ! Vos mecum hic mei  
 Remanete proceres ! Vestra si duret fides,  
 Impellet alios, ut mihi iurent fidem,  
 Consilia forsitan nostra qui nondum sciunt.

### Senex.

875 Latere scelera vix queunt unquam diu.  
 Suspecta res est semper arcano latens  
 Celata velo.

### Fritlandus.

Nescio, quis se meos  
 Ingerit in artus horror et sensus ligat.  
 Timeo Galassum, Piccolominium quoque.  
 880 Sunt hi fideles Caesari.

### Senex.

Tantum bonos  
 Timent nefandae conscripsi fraudis viros.

### Kinskius.

Donis tribunos vince ! Promissis fides  
 Succumbit omnis.

### Senex.

Nulla sinceram fidem  
 Promissa vincunt.

### Illous.

Omnia arbitrio regis.  
 885 Iube ! Supremi iussa praefecti audient.

**Senex.**

Si sint honesta.

**Neumanus.**

Coge! Nam obsequium parant  
Violenta saepe iussa. Qui mortem timet,  
Nihil recusat.

**Senex.**

Non timet constans mori,  
Quicunque domino fidus est vere suo.

[37]

**Fritlandus.**

Res magna, proceres, exitum haud una suum  
Sortitur arte; fraude, promissis, metu,  
Benignitate. Nullus exiguo parat  
Labore regnum.

**Senex.**

Quando per foedam cupid  
Regnare fraudem.

**Kinskius.**

Noster est pro te labor,  
Per nostra regnum corpora invadas licet.  
Tibi si resistat Caesar, inveniet moram,  
Moram in his lacertis.

**Senex.**

Caesari haud desunt manus.

**Illous.**

Tibi servit uni miles et tantum tuo.  
Iussu arma tollet.

**Senex.**

Caesarem adversus suum

Nunquam.

**Neumanus.**

Occupatus Caesar et forsitan suo  
Fato involutus non tibi obiciet moram.  
Pragam occupato! Rex eris. Regnum tenet,  
Quicunque regni cautus invadit caput.

9\*

**Senex.**

Sic esse fortes, sed suis linguis solent  
 905 Semper rebelles.

**Fritlandus.**

Cuncta providi prius.  
 Timeo Galassum.

**Kinskius.**

Veniat et iuret fidem.  
 Si nolit, uno, quem times, fato eripe!

**Fritlandus.**

Etiam timendus Piccolominius mihi est.  
 Vel ille solus rebus obsistet meis  
 910 Vel ense regem solus efficiet suo.

**Illous.**

Probata tanti saepe virtus est ducis.  
 Felici pugnat ense nec quicquam timet  
 Etiam in periclis. Hunc tibi quovis ducem  
 Adiunge pretio!

**Senex.**

Nempe venalem putas.  
 915 Illi sed omni carior pretio est fides.

**Neumanus.**

Etiam hunc recusat si tibi forsitan fidem,  
 [38] Occide! Nunquam mortui mordent canes.

**Fritlandus.**

Nisi fallor, aderit. Paruit semper mihi.  
 Nos hinc eamus, reliqua curemus simul.  
 920 Bis ante ternos rex ero forsitan dies.

**Senex.**

Bis ante ternos non eris forsitan dies.

## Scena III.

Lalgus parasitus. Senex.

## Lalgus.

Satis est. Secundum somnus augurium dedit,  
 Nox ipsa curas sustulit. Iam iam meis  
 Applaudit Aether fraudibus. Vidi omnia  
 925 Nihilque cernens sceptrum conspexi nova  
 Novumque regem et Caesarem vidi novum.  
 O nox tenebris clarius Phoebo tuis!

## Senex.

Quid iste somniator?

## Lalgus.

In thalamo iacens  
 Cum nox cadentem pelleret mundo diem  
 930 Caliginoso cuncta convolvens sinu,  
 Ardere vidi pulvere occulto domos,  
 Lateque fumus nubilo totum globo  
 Caelum tegebat. Deinde, dum horresco metu,  
 Vidi cruentas sanguine effuso dapes  
 935 Cadaverumque Cerere permixta struem.  
 Ex arce sed mox corruit magno caput  
 Ingens tumultu. Nec mora attonitos sopor  
 Oculos reliquit, Phoebus adduxit diem  
 Ac tum sereno Caesarem excelsum polo  
 [39] Regemque vidi. Purpura aurato nitens  
 Limbo micabat, longa gemmarum strues  
 Capitis coronam luce formabat sua  
 Sceptrumque cingens igne lambebat novo.

## Senex.

Quod ergo monstrum est?

## Lalgus.

Redditus vixdum mihi  
 945 Vidi, nec erro, splendido vultu deam.  
 Sic illa dixit: Disce, quod monstrum vides,  
 Novus iste Caesar Franciae rex est tuae;  
 Fritlandus iste rex novus; lapsum caput

Caput est cadentis Caesaris; multo strues  
 950 Permixta tabo gentis Austriacae ultimum  
 Est funus; inde pacis exortae iubar.  
 O me beatum!

**Senex.**

Te tuus fallit sopor.  
 Tibi nox, quod optas, somnio ostendit suo.  
 Sit somniando rex tuus Caesar novus,  
 955 Istud tumultu corruens magno caput  
 Caput ominosum est. Nemo fatorum vias  
 Scrutetur audax.

**Lalgus.**

Ibo, Fritlandum petam.  
 Gaudebit isto somnio et iam rex erit. —  
 At en Tribunus! Piccolominius, reor,  
 960 Est iste. Magnae causa laetitiae est nova.

[40]

**Scena IV.**

Piccolominius. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex.

**Piccolominius.**

Adsum vocatus. Causa quae moveat ducem,  
 Ignoro; trepido subsilit pectus metu,  
 Totos per artus frigidum inserpit gelu.  
 Quid est? In armis corde constanti hactenus  
 965 Et in periclis pectore invicto fui;  
 Nunc se lacessit animus atque ultro suo  
 Succumbit oneri. Fallor, aut dirum nefas  
 Molitur aliquis, pace vel Caesar nova  
 Tandem fruetur.

**Kinskius.**

Omnibus gratus venis,  
 970 Nobis ducique. Magna spes cunctos tenet,  
 Dum te videmus.

**Piccolominius.**

Causa quae tandem est viae?  
 Venio vocatus. Si quod immineat novum

Patriae periculum, pectus hoc morti offero;  
Me nullus unquam cernet ignavum dies.

**Kinskius.**

- 975 Tua nota virtus. Dux tuae causam viae  
Mox explicabit. Sis tuus, sed sis simul,  
Hoc oro, noster, dumque dux optat, duci  
Adiunge mentem! Revocat hunc Caesar domum,  
Ut arma ponat, deserat bellum, iubet.  
980 Invidia tantum sola persequitur domum.

**Piccolominius.**

Parere non vult?

**Illous.**

- Nec decet. Totum hactenus  
Invictus ipse pondus armorum tulit.  
[41] Expendit aurum, militem adiunxit sibi,  
Cum nullus ultro Caesarem vellet sequi.  
985 Et iam tribuni mente iurata ducem  
Volunt tueri. Nemo consilium improbat,  
Signata certo est omnium scripto fides.  
Nec tu recusa! Castra Fritlandus regat.

**Piccolominius.**

Etiamne contra Caesarem?

**Neumanus.**

Nihil hic potest.

- 990 Illum tueri non decet, legem suo  
Capit a senatu, et hic ducem opprobrio premit.  
Proba ergo, cuncti quod probant belli duces!

**Piccolominius.**

- Ut sim rebellis, ut datam fallam fidem?  
Non si ipse iubeat rector astrorum Tonans,  
995 Non si per astra pontus evolvat suas  
Agitatus undas. Obruar terra prius,  
Quam me infidelem sentiat Caesar sibi.  
Et arma contra Caesarem? O dirum nefas!  
Ut ille nostro pereat auxilio, cui  
1000 Tot iam per annos corde iurato fidem  
Et hoc periclis pectus obstrinxi meum?

Potius per istas ensis intrabit fibras  
 Animamque membris pellet extinctam meis.  
 Moriamur ergo! Carior vita est fides.

- 1005 O cor, tibine perfidam quisquam fidem  
 Obiciat unquam? Pereat Austriacae domus,  
 Stirps illa, cuius sola Romanam manus  
 Fidem tuetur? Pectus hoc, pectus mihi  
 Semper fidele est. Apage perfidiam! Ratum est.  
 [42] Vel mille nostro corpore excipiam neces,  
 Mecum sepulcro aut ipsa condetur fides.

### Kinskius.

Abriperi ira teque turbatum furor  
 Agit impotentem. Mente composita tuos  
 Compone motus! Ut fidem iures duci,  
 1015 Hoc postulamus.

### Piccolominius.

Caesari dixi fidem.  
 Repetere si dux Caesari hanc mandat fidem,  
 Nihil recuso. Perfidum si me cupit,  
 Frustra laborat. Caesari nunquam ducem,  
 Quamquam minetur, praeferam. Possum mori,  
 1020 Sed gloriose, turpiter nunquam queo.

### Illous.

Quid ominaris? Facere quod fortis potest  
 Probusque quod vir, petimus. Addicas fidem!  
 Nos hic tribuni dedimus exemplum tibi.

### Piccolominius.

Violare scriptam Caesari me vis fidem?  
 1025 Violabo nunquam. Gladius hic tantum nefas  
 Arcebit a me.

### Neumanus.

Nos tuum adventum duci  
 Dicemus ergo. Magna spes illum tenet.

### Senex.

Generosus animus fallere haud novit fidem  
 Infamiamque morte vel peius fugit.

## Scena V.

Piccolominius. Senex. Lalgus.

## Piccolominius.

1030 Hoc suspicabar; placuit haud unquam mihi  
 Conventus iste. Te, Tonans, testem voco,  
 Istos recessus cordis et latebras mei  
 [43] Animumque cernis. Nulla perfidia hic latet,  
 Sincera semper mens fuit, caruit dolis  
 1035 Fidele pectus. Morte testabor mea,  
 Quoties rebellem stirpis augustae domus  
 Aliquem vel hostem sentiet.

## Senex.

Semper timet

Mens nata magnis addere opprobrium sibi.

## Piccolominius.

Etiamne nomen sera posteritas meum  
 1040 Reprehendat unquam? Perfidum me gens mea  
 Accuset unquam? Criminis tanti capax  
 Non animus iste est, gloriae affectat decus.  
 Annos nepotum cernit et labem timet  
 Inferre famae. Decore si careat suo,  
 1045 Mors ipsa vita est.

## Senex.

Turpiter nescit mori,  
 Qui candidatus gloriae est, nec vivere  
 Sine honore curat.

## Piccolominius.

Volvor incertus tamen.

Ducem movebit ista libertas mea  
 Audaxque dictum. Vir ferox, vir est potens  
 1050 Animoque praeeeps, pronus in caedem ruit,  
 Cum forte subitus pectus inflammat calor.  
 Succumbit irae nec potens dextrae est furor  
 Obnubilatus. Forsitan ferro irruet  
 Turbatus in me; nam furor nescit modum.  
 1055 Ambitio mentem pulsat, et nunquam satis

Sibi credit esse. Si fidem sceleri negem,  
Peream necesse est.

**Senex.**

Ira praecipitem trahit  
Iram et furorem. Qui sapit, semper fugit

**Piccolominius.**

Euge anime, fortem Caesari ostendas manum.

[44] Ratum est. In ipsas inseram ferrum fibras,  
Morietur ista dextera. Si me mori  
Forte ipse cogat, (adiuva, o Aether, manum !)  
Nunquam superstes post meam vivet necem.  
Moriemur ambo, victimam hanc caelo dabo.

**Senex.**

<sup>1065</sup> Laudis theatrum est fortis interitus viri.

**Lalgus.**

Vir magne, adesse protinus te dux iubet.

**Piccolominius.**

Hac mandat hora ?

**Lalgus.**

Sic iubet. Promptus moras  
Abrumpe cunctas !

**Piccolominius.**

Nempe cum medium tenet  
Nox atra caelum ?

**Lalgus.**

Sic iubet. Noctu quoque  
<sup>1070</sup> Partitur horas et vigil curas premit.

**Piccolominius.**

Tu vade, veniam. Mortis haec hora est meae.  
At non inultus moriar, imperium mea  
Iuvabo morte, degener nec sic cadam.  
Sic ibo, nudum claudet hoc ferrum latus,  
<sup>1075</sup> Hac parte parvum veste velabo sclopum.  
Si tentet aliquid, flammeo pectus globo  
Et igne totas cordis abrumpam vias

Sedemque vitae. Si cadam, mecum cadet. —  
En ipse!

**Senex.**

Inultus cadere vir fortis nequit,  
1080 Solaciumque est hoste deiecto mori.

[45]

**Scena VI.**

Piccolominius. Fritlandus. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex.

**Piccolominius.**

Parere iussis, magne dux, volui tuis.  
Adsum vocatus. Indolem cernis meam  
Fidumque pectus. Asperum si quid meo  
Ab ore fluxit, subitus extorsit calor,  
1085 Dum nempe mentis moveor ignarus tuae.  
Abripuit animum fervor imprudens meum  
Et primus oris impetus. Nunc dum tua  
Consilia prudens aestimo, mentem nova  
Ratione muto. Neminem fidum magis  
1090 Aut consulentem rebus invenies tuis.

**Senex.**

Servire prudens tempori semper solet  
Et tegere mentem.

**Fritlandus.**

Laetor adventu tuo.  
Probata virtus est tua et multis fides  
Spectata rebus.

**Piccolominius.**

Dubia me nunquam fides  
1095 Pertraxit ad te; si qua libertas mea est,  
Candore peccat; fraudis est expers tamen.

**Senex.**

Simulare sapiens, cum salus dubia est, potest.

**Fritlandus.**

Amplector istud pectus et fidum mihi  
Promitto semper. Caesar est in me nimis

1100 Iniuriosus, lacerat et famam meam  
 Et abesse castris me iubet. Mens nunc rata est  
 Opprimere totam gentis Austriae domum.  
 [46] Sit Caesar alius, rex ego et sceptrum mihi  
 Tradat Bohemus, Austria agnoscat ducem.  
 1105 Aderunt tribuni, miles imperio meo  
 Parebit omnis. Gente sublata unica  
 Tunc pax serenum reddet imperio diem.  
 Tu rebus istis, qua potes dextra, fave  
 Animoque promptus!

### Senex.

Stultus oblitus sui est.

1110 En prodit illi mentis arcanum sua,  
 Timere merito quem potest. Semper cito  
 Quicunque credit, fallitur.

### Fritlandus.

Merces manet  
 Te magna mecum. Dux eris, cum rex ero,  
 Cumulabo magnis opibus.

### Piccolominius.

Hunc animum prius  
 1115 Testatus in me es; fidus et constans ero.  
 Tua ista mens est patriae pacem dare  
 Hostemque pacis tollere. At miles tibi est  
 Iungendus omnis. In tuas partes quoque  
 Veniet Galassus; hunc tibi adiungam virum.

### Fritlandus.

1120 Hoc ergo cura!

### Kinskius.

Gratulor tandem tibi  
 Ducique; sic praestare te fidum decet.

### Illous.

Virtute tanta praemium dignum feres.

### Neumanus.

Et istud altae est indolis signum tuae.

**Fritlandus.**

Docebo cuncta; tu domum mecum subi!

**Senex.**

1125 Dant verba verbis; credulum fallet ducem.  
Fidus manebit Caesari, infidus duci.

[47]

**Chorus.**

De constanti fide.

Quisquis fido pectore constans  
Nullo mentem tempore mutat  
Vivitque inter mille pericla  
1130 Retinetque animum semper eundem,  
Dignus superis coetibus ille est.  
Non si nivibus Caucasus horrens  
Aut sublimi vertice Olympus  
Corruat, animum trepido tangit  
1135 Terrore gravem. Celsior ipse  
Desuper altos cernens caelos  
Ambit superae culmina patriae.  
Non si saevus mille tyrannus  
Ingerat atrae tormenta necis,  
1140 Non si Furias Erebo laxet  
Arbiter Orci totamque Stygem  
In caput unum litore rupto  
Mittat et ardens defluat ignis,  
Semper mentem servat eandem.  
1145 Multum certus despicit aurum  
Regnaque spernit, quamquam possit  
Totum sceptro subdere mundum.  
Levis est animi munere vinci  
Et perfidiae est violare fidem.  
[48] Dignus Stygio perfidus Orco est  
Et perpetuis tenebris pasci.  
Illum torto verbere Furiae  
Agitent, nec se recreet aura,  
Quae vitales animos addit.  
1155 Qui namque fidem fallax violat,

Is luce animum privat et aura.  
 Pretium vitae est servata fides,  
 Pretium est mortis violata fides.  
 Animus constans dignus Olympo est,  
 1160 Perfidus animus dignus at Orco est.  
 Gloria semper sequitur fidum.

Finis Actus tertii.

#### Actus IV. Scena I.

Fritlandus. Piccolominius. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex.

##### **Fritlandus.**

Iam cuncta nosti, arcana detexi mea.  
 Gerenda res est; restat, ut praestes fidem.

##### **Piccolominius.**

Praestabo. Mentem cernis et dextram probas.  
 1165 Mora nulla per me est.

##### **Fritlandus.**

De tua haud dubium est fide.

Ubi nunc Galassus haeret, Altringer quoque?

- [49] Quae causa lentae detinet tardos viae?  
 Consilia nostris sana si rebus petunt,  
 Cur non citatis advolant ad nos equis?
- 1170 Consulere tecum, quisquis est tecum, cupit  
 Et providere patriae. Sed tu tamen  
 Abi expeditus, Austriam velox pete  
 Mihiq[ue] iunge militem! Styriam occupa,  
 Ne quis Vienna quaerat effugium, cave!
- 1175 Te mox sequemur. Reliqua curavi prius,  
 Quis domibus ignes addat, augustam domum  
 Quis perimat ense. Gentis Austriacae ultima  
 Decreta mors est; patria hanc mortem petit.  
 Abi et Galassum, dum potes, tecum mihi  
 1180 Facilem reducas!

##### **Piccolominius.**

Ibo, tentabo omnia.  
 Animo Galassus fallet haud unquam suo.  
 Fides probata est hactenus.

**Senex.**

Sed non tibi.

Fidus Galassus Caesari, ut debet, suo est.

**Kinskius.**

Tua sola nobis adferet pacem fides.

**Piccolominius.**

1185 Ero fidelis.

**Illous.**

Ceterorum quisquis est,

Tuam sequetur, si voles, ultiro fidem.

**Piccolominius.**

Volo.

**Neumanus.**

Nec aliud velle iam prudens potes.

Afflita lassas patria protendit manus.

**Piccolominius.**

Quaerenda patriae semper est primo salus.

1190 Quaeremus istam.

**Senex.**

Nempe, quo debes, modo.

Dat verba prudens et suis verbis cavet,

Ne fidus erret neve perturbet ducem.

**Fritlandus.**

Tu vade, rebus adferes nostris opem.

[50]

Scena II.

Piccolominius. Senex.

**Piccolominius.**

Evasimus. Tibi, o Tonans, grates ago.

1195 Servata per te est vita, quam reddam tibi

Et Ferdinando Caesari. Potui quidem

Simulare mentem et debui; semper tamen

Simulando constans hoc mihi pectus fuit,

Sit testis Aether. Cernit hunc animum Deus

1200 Et hos recessus pectoris. Nunc, dum licet,  
 Certus monebo Caesarem et totum simul  
 Sic annuente detegam caelo scelus.  
 Me nemo dicet perfidum. Imprudens sua  
 Fritlandus iste arcana detexit mihi,  
 1205 Sed paenitebit. Voluit hoc caeli Deus,  
 Ut cogitatum morte multaret nefas.  
 Ibo ad Galassum; Caesari fidus suo est  
 Deoque fidus. Militum obstringam fidem,  
 Sed Ferdinando. Teneat hanc urbem sibi;  
 1210 Mox obsidebo et milite occludam viam.

**Senex.**

En hic timendus, qui suae vitae prius  
 Merito timebat. Sic Deus sortem malam  
 Meliore mutat.

**Piccolominius.**

Gentis Austriacae salus,  
 Religio patrum, patria, imperium, fides  
 1215 Et ipse Caesar ultimam exspectant necem,  
 Ni mox eatur obviam. Rumpo moras,  
 [51] Remedia namque lenta nil unquam iuvant.  
 Eamus ergo! Celeritas tollet malum.  
 Hoc in periculo nostra se ostendet fides.

**Senex.**

1220 Sic vade! Quisquis praevenit cautus malum,  
 Is vitat illud. Uttere et ferro et manu! —  
 En somniator rursus. Ut tristis tacet!

**Scena III.**

Lalgus. Senex.

**Lalgus.**

Nihil hic placet; nox terret, affligit dies.  
 Et ominosa est nimia credulitas ducis.  
 1225 Dimittit illum, quem timere mox potest.  
 Fortuna quem vult perdere, excaecat prius.  
 Stricto secundum fuerat hoc ferro caput.

Ut cautus egit! Ut suam sollers fidem  
 Simulavit! Ore verba composito dabat,  
 1230 Nil non probabat. Non placet. Mihi cor salit  
 Et hoc tumultu palpitat pectus gravi.  
 Evasit ille nec tamen scripto suam  
 Fidem obligavit. Caesarem actutum suis  
 Forte admonebit litteris. Nunquam nocent  
 1235 Praescita cautis sortis adversae mala.

**Senex.**

Parasitus iste iam sapit, sero tamen.  
 Commissus error exitum exspectat suum.

**Lalgus.**

Ut huc Galassus veniat? Ut sese duci  
 Atque arma iungat? Caesari ut violet fidem?  
 [52] Potius ruenti verticem obiciet polo.  
 Detecta fraus est nostra; nec fallor, brevi  
 Poenas luemus.

**Senex.**

O Tonans, verum hunc, precor,  
 Fac esse vatem!

**Lalgus.**

Somnio illusit mihi  
 Nox una tantum, quaeque tunc nihil videns  
 1245 Simulacula vidi, iam metu mentem premunt.  
 Fritlande, metuo, nec parum metuo tibi.  
 Crudelitatis tam cito oblitus tuae  
 Hostem benigno recipis affatu et fidem  
 Adhibes, doloso decipit dum te modo.  
 1250 Hic saeviendum tempore oblato fuit.  
 Vereor ruinam; prodere haud unquam decet  
 Arcana multis. Non satis constat sibi  
 Dux ipse. Multa volvit, incertus tamen  
 Et se fatigat animus et curas cito  
 1255 Deponit omnes. Languet et totus iacet  
 Quandoque tristis, rursus assurgit sibi  
 Sese lacessens impetu.

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

**Senex.****Fraudis reus**

Quicunque tantae est, multa convolvat suo  
 Animo necesse est. Grande patrandum scelus  
 1260 Nescit quietem.

**Lalgus.**

Video nec fallor. Duce  
 Incertus animo fertur et gressu ferox  
 Turbata signat pectora. Hoc omen malum est,  
 Peccare subito semper iratus solet.

## Scena IV.

Fritlandus. Terscha. Senex. Lalgus.

**Fritlandus.**

Turbatur animus, cor mihi retro salit  
 1265 Fugamque versat intus. Ut turpem mihi  
 Fugam capessam? Caesaris timeam minas?  
 Nondum ista novit, corde quae occulto latent.  
 Latet hic repostum, quod timet, sed non diu  
 Intus latebit. Noster erumpet furor  
 1270 Totique laetum reddit imperio diem. —  
 Agedum quid ergo est? Quid mihi, Terscha, refers?

**Terscha.**

Consilia novit cuncta iam Caesar tua.

**Fritlandus.**

Consilia novit nostra?

**Terscha.**

Non illum latent.

**Fritlandus.**

Quid ergo Pragae?

**Terscha.**

Milite ingenti occupat

1275 Iam Caesar urbem; militi clausa est tuo.

**Fritlandus.**

Ecquid Viennae?

**Terscha.**

Cuncta discussa, eruta,  
 Examinata, pulvis inventus, vigil  
 Ubique constitutus, excubiis domus  
 Servantur omnes; amplius tota timor  
 1280 In urbe nullus, et tibi cives male  
 Tantum imprecantur.

**Fritlandus.**

Pro nefas! Pro pro nefas!  
 Adhucne vivit Caesar?

**Terscha.**

Et vivit quidem  
 Et te rebellem lege proscripsit sua.

**Fritlandus.**

Proscripsit? Et me lege proscripsit sua?  
 1285 Et me rebellem?

**Terscha.**

Iam omnium ferro pates  
 [54] In teque quisquis strinxerit fortis manum,  
 Cumulatus auro gloriam illustris feret.

**Fritlandus.**

O sors! Et in me stringat ut quisquam manum,  
 Ut pectus illud fodiat?

**Terscha.**

Insidias cave!  
 1290 Cunetos timere et cuncta proscriptus potest.

**Fritlandus.**

Cuncta arma in ipsum Caesarem obvertam prius.

**Terscha.**

Etiam arma Caesar iam tibi eripuit sua.  
 Dux est Galassus, Piccolominius quoque.  
 Sic ipse iussit.

**Fritlandus.**

Dux Galassus, qui mihi  
 1295 Fidem obligare debuit?

**Terscha.**

Tenet Austriam  
Totumque claudit flumen et ferro vias  
Praemunit omnes.

**Fritlandus.**

Piccolominius quoque ?

**Terscha.**

Hic universum Caesaris robur simul  
In arma cogit teque iam Pilsnae cupit  
1300 Ferro obsidere. Nulla spes, multus timor.  
Spes nulla Pragae. Cuncta praesidio tenet  
Et cuncta munit Suysius. Sic spe tui  
Regni excidisti. Miles abscedit frequens.  
Benignitate Caesar invitat sua  
1305 Cunctisque parcit. Venia sic illos facit  
Sperata profugos; deserunt ipsi quoque  
Centuriones signa nec servant fidem.  
Mutata sors est, omnia in peius ruunt,  
Hic dum moramur.

**Fritlandus.**

Nulla spes restat mihi ?  
1310 Nostram fefellit Piccolominius fidem.  
Me, me ipse verbis, ipse decepit suis.  
Simulare fallax novit et solo fidem  
[55] Probare vultu. Vah furor ! Vah vah furor !  
Cur tam benigne perfidum excepti ducem ?  
1315 Cur sic pepercit ? Me meus, me me meus  
Candor fefellit. O meas, o si meas  
Fas experiri sit tibi rursum manus !  
Et usque et usque et millies et millies  
Meus iste gladius pectus effoderet tuum,  
1320 Meus iste gladius sanguinem hauriret tuum !  
Dum te putavi rebus addictum meis,  
Me prodidisti. Perfide, hoc, hoc sub pede  
Iam te decebat vuluere oppressum mori.  
Iam te decebat corpore effracto tuam

1325 Exspuere vitam. Quo furor, quo me furor  
Retrahis trahisque!

**Terscha.**

Magne dux, nunc dum licet,  
Cohibe furorem! Perditis nunquam est furor  
Medicina rebus. Consule actutum tibi!  
Ratio tueri te potest, non hic furor.  
1330 Spes forte restat aliqua, consilio est opus.

**Senex.**

Spes nulla restat, quando vulgatum est scelus.  
Corrigere fatum non licet.

**Lalgus.**

Proceres voca!  
Hi te iuvandi forsan invenient modum.

**Fritlandus.**

Tu vade, proceres convoca! Nondum mihi  
1335 Excessit animus. Cuncta subvertam prius,  
Quam me iste vincat Caesar. Hac fatum in manu est.

**Senex.**

Immo in Tonantis est tuum fatum manu,  
Et mox videbis. Sera consilia expetis.

[56]

Scena V.

Fritlandus. Terscha. Kinskius. Illous. Neumanus. Senex. Lalgus.

**Fritlandus.**

Consilia, proceres, Caesar agnoscit mea  
1340 Sese que contra viribus munit suis  
Et armat in me. Piccolominius fidem  
Mihi fecellit. Ergo quid facto est opus?  
Deliberate! Spes mea in vestra est manu.

**Terscha.**

Pilsnae minantur, claudere hanc urbem volunt.  
1345 Non hic moremur. Consules frustra tuis  
Conclusus armis, arma libertas dabit.

Quaeramus illam, proxima est. Non hinc procul  
Urbs Aegra. Muniatur et sedes novi  
Sit ipsa belli.

### Kinskius.

Magne dux, nondum tuo  
1350 Voto exidisti; arcana qui novit tua,  
Nondum arma vicit. Militem actutum iube  
Adesse castris, quisquis hostis hactenus,  
Sit nunc amicus. Capere quod regnum dolo  
Forsan volebas, rapere iam ferro licet  
1355 Et Marte aperto. Desere hauc urbem cito!  
Vicinus Aegrae est hostis, hic sit spes tua.  
Migremus Aegram.

### Illous.

Pilsna praesidio tamen  
Sit tuta magno. Caesar hanc urbem petat  
Et quatiat armis, tempus hic longum teret.  
1360 Weimariensis adferet nobis opem  
[57] Arnhemiusque viribus vires tuis  
Adiunget ullo. Sorte mutata tamen  
Petamus Aegram.

### Neumanus.

Longa consilia extrahunt  
Perduntque tempus. Hostis accelerat viam,  
1365 Nec Pilsna tutum praebet hospitium tibi.  
Abeamus Aegram! Tuta consilia hic licet  
Morasque trahere.

### Fritlandus.

Rebus adversis decet  
Virtute niti, facere spem certam sibi,  
Neglegere nunquam tempus. Hoc ergo est ratum,  
1370 Eamus Aegram. Miles hanc urbem suis  
Tueatur armis. Lalge, festinans abi,  
Praecurre, tutam praepara nobis domum!  
Te mox sequemur.

### Lalgus.

Ibo, praecurram celer.

**Fritlandus.**

Praefectus urbem claudat, haec tantum mihi  
 1375 Meisque pateat.

**Lalgus.**

Iussa praefecto feram  
 Tuisque rebus consulam, dum tu iubes.

**Fritlandus.**

Properate, proceres! Nostra non patitur moras  
 Fortuna lentas, promptum iter tempus petit.  
 Currus equosque et sarcinas, aurum simul  
 1380 Et quidquid hostis optat, auferre hinc licet.  
 Parate celeres cuncta! Nullius manus  
 Ignava iam sit; omnium hic agitur salus.

**Senex.**

Itur, reditur, curritur, recurritur  
 Et cuncta raptim et cuncta turbate. Timor  
 1385 En addit alas omnibus.

**Fritlandus.**

Famule, huc cito!

Secretiores litteras tecum rape  
 Aerariumque!

**Terscha.**

Lente, non properas, puer?  
 [58] Age iunge currum!

**Kinskius.**

Tu mihi adducas equum!  
 Ne sit supellex perdita, aut tandem lues.

**Fritlandus.**

1390 Nullus tubarum sit sonus, taciti viam  
 Rapiamus omnes!

**Illous.**

Quo meus tandem puer  
 Evasit ergo? Perge, ne loculos meos  
 Retro relinque!

**Neumanus.**

Tu mone aurigam, celer  
Ut expeditis, si potest, volet rotis!

**Senex.**

1395 Ite hinc, volate, currite! A tergo est timor  
Et instat, urget, pellit, extremos premit.  
Ut scelera miseros fraudis impellunt reos!  
Ut eos flagellant! Conscius recti haud timet.  
Nova regna poscunt, turpiter fugiunt tamen. —  
1400 Quis iste rursum? Pectore audaci viget.

**Scena VI.**

Butlerus. Fritlandus. Senex.

**Butlerus.**

Dux magne, sero forsan advenio tuo  
Iussu vocatus. Longa detinuit via,  
Quamquam expedito miles instaret pede.  
Iube, quod optas!

**Fritlandus.**

Gratus es, si sis meus.

1405 Ubi est Galassus?

**Butlerus.**

Austriae imponit suas  
Utrique turmas.

**Fritlandus.**

Piccolominius quoque?

**Butlerus.**

Hinc inde cogit militem, ut quaedam sibi  
Nova castra iungat.

**Fritlandus.**

Sit satis. Iam iam moras  
Abrumpo cunctas, desero Pilsnam et meas  
1410 Aegram cohortes transfero. Tu me sequi,  
Butlere, debes.

**Butlerus.**

Exsequar, quicquid iubes.

[59]

**Fritlandus.**

Esto fidelis et mihi iura fidem!  
 Obruere bello Caesarem fixum est mihi.  
 Me spernit ille, merita contemnit mea,  
 1415 Proscribit, instat, praeficit castris ducem  
 Suis Galassum. Tu mihi fidus mane  
 Constansque semper; praemium certum feres.  
 Arces et aurum, quicquid optabis, dabo.

**Seneca.**

Arcana rursus aperit imprudens sua.  
 1420 Ut caecus errat?

**Fritlandus.**

Mente quid dubia tremis!

**Butlerus.**

Iurata mens est Caesari, addixi fidem.  
 Fidem duobus vir probus nunquam dabit.  
 Sim liber, et mox alteri addicam fidem.

**Fritlandus.**

Tu liber esto, tempus haud patitur moras.  
 1425 Me sequere et Aegram militem adducas tuum!  
 Te das videbo.

**Senex.**

Cras nihil forte amplius  
 Vivus videbis. Arduum qui non potest  
 Tacere facinus, exitum exspectet malum.

**Butlerus.**

Quid istud ergo est? Caesarem iam dux cupit  
 1430 Opprimere bello? Postulat nostram fidem,  
 Ut sim infidelis? O Tonans, non non licet.  
 Hibernus in me est animus et fidus deo.  
 Servabo dictam Caesari semper fidem.  
 Venale non est pectus hoc auro meum  
 1435 Nec illud arces integrum aut regnum potest

Unquam movere. Sit fides constans mea,  
Aurum ipse et arces proditor frenet suas.  
Hoc suspicabar; testor hunc caeli diem.

- [60] Suspecta nobis ista Fritlandi fuit  
1440 Ambitio semper. Aliquid audendum est semel.  
Totam una causam fortis absolvet manus.  
Sequamur illum! Sic iubet, non sic volet.

### Chorus.

Genius Austriacus. Germania. Chorus.

### Genius Austriacus.

- Tandem, tandem, Phoebe, serenos  
Indue vultus! Capit ecce fugam  
1445 Latebrasque petit, qui Austriacam  
Delere domum nititur armis.

### Germania.

- At me duello destinat alteri  
Viresque cogit, ne mihi Caesaris  
Ferat levamen certa potentia.  
1450 Semper supersunt magna doloribus  
Fomenta nostris. O deus, o mihi  
Quando redibit purior aethere  
Pax certa ab alto? Comprime, dum licet,  
Viros feroce cordaque perfida!

### Chorus.

- 1455 Pax, ades celso properans Olympo,  
Pax, ades, terrae miserata nostrae!  
Sentiat seros obitus tyrannus  
Et gemat stricto gladio peremptus.  
Unicum nobis superest levamen  
1460 Cernere hunc sparsum medios cruentum  
Ire per agros.

### Genius.

- Matura scelus sequitur poena  
[61] Nunquamque scelus poena relinquit.  
Iam satis et plus satis est sceleri  
1465 Tantas parvo tempore vires

Sumpsisse prius. Nunc ambitio  
Ruit ad summum nescitque modum.  
Uno tamen corruet ictu.

### Germania.

Pax uno ab ictu reddita me simul  
1470 His liberabit sola doloribus.  
Romana mecum religio suis  
Reddetur aris tutaque plebs meis  
Reddetur agris. Sanguinis o satis  
Campi biberunt fessaque plurimis  
1475 Adhuc laborant arva sub ossibus.

### Chorus.

Iam satis nostris furibundus oris  
Saevit Mavors, satis in colonos  
Detonans bellum violavit agros.  
Inde iam vexat miseros egestas,  
1480 Multiplex atque hinc patriae ruina.  
Haurit ex imis lacrimas medullis.  
Respice o tandem, Deus, imminentem  
Tolle ruinam!

### Genius.

Iam tua tangunt superos vota.  
1485 Graditur lento vindicta gradu,  
Graviore premit postea fato.  
Spera! Venient tempora pacis,  
Cultusque novos laeta resumes.

Finis Actus quarti.

[62]

### Actus V. Scena I.

Fritlandus. Butlerus. Cordonus. Leslaeus. Senex.

### Fritlandus.

Appulimus Aegram, quaeque spes pridem fuit,  
1490 Eadem remansit. Ipse fortunam mihi  
Faciam faventem; si suas mutet vices,  
Stantem tenebo. Quisque fortunae est sua  
Fabricator et dux. State vos mecum viri.

Fortesque! Quicquid sortis adversae est, fide  
 1495 Superabo vestra. Non mihi Caesar metum,  
 Austriaca non gens tota, non auro potens  
 Hispanus addet. Sentiet, quantum duci  
 Sit provocato pondus et quantum furor  
 Atque ira possit. Me suum Caesar ducem  
 1500 Proscribit atrox et mea ingratus nimis  
 Merita et labores temnit. Hispanus suis  
 Elatus Indis Caesarem, quo vult, trahit,  
 Ut servitutis nempe Germanis iugum  
 Addat pudendae. Nec suo est aequus patri  
 1505 Rex Ferdinandus, castra molitur nova  
 Et iam triumphos, hoste non viso prius,  
 [63] Aulae ministros inter et cives agit.  
 Nondum arma vidit, ducere armatas tamen  
 Cupit cohortes meque proscripto duce  
 1510 Dare iura castris. Si quis est in me vigor,  
 Scintilla verae si qua virtutis manet,  
 Mens excitanda est et gravi tandem manus  
 Armanda ferro. Nempe magnarum memor  
 Iniuriarum est animus, ulcisci cupit.  
 1515 Sit testis aether, patriae pacem volo  
 Germaniaeque, qua licet, certam meae  
 Tranquillitatem. Quae mihi vires adhuc  
 Et quae supersint arma, dum nostris favet  
 Iam rebus hostis, vos satis scitis viri.  
 1520 Tota ipsa nostrum patria vel nutum videns  
 Se commovebit, Caesari opponet manus  
 Et hunc repellent. Vos quoque hic fortes decet  
 Animos probare. Nostra spes est vestra spes,  
 Servire nemo rege Fritlando potest.  
 1525 Butlere, quis animus est tibi?

### Butlerus.

Semper meas  
 Partes tuebor fortis et fidus simul.  
 Dubitare nec tu, dux, potes. Saepe hanc manum  
 Et hoc probasti pectus. Hibernus solet

Nunquam esse domino proditor fallax suo.  
 1530 Videbis hoc et senties.

**Fritlandus.**

Laudo fidem,  
 Manum probo. Felicitatis hoc tuae est  
 Adesse nobis; praemium magnum feres.  
 Hoc nunc agendum. Milites circum tui  
 [64] Urbemque iuxta per vias prompti erunt  
 1535 Armis parati, ne quis hue intret mihi  
 Hostis, cavebunt.

**Butlerus.**

Iussa militibus dabo,  
 Alii meique iam excubant cuncti foris.

**Fritlandus.**

Cordone, quid tu?

**Cordonus.**

Non tibi ignotus, reor,  
 Tot iam per annos arma pro imperio tuli.  
 1540 Urbs haec et urbis arx meae fidei et simul  
 Comissa curae est. Nemo pervertet fidem,  
 Curamque vigilans ipse praefectus geram.

**Fritlandus.**

Servabis urbem arcemque confidam tibi.  
 Leslaee, rebus tu meis operam dabis,  
 1545 Etiamque, quicquid forte scribetur, leges  
 Referesque nobis. Hanc tuam novi fidem.  
 Dispone, nostram si quid haud curam exigat!

**Leslaeus.**

Erit haec potestas publici semper boni,  
 Et fidus utar. Si quid ulterius iubes,  
 1550 Curabo promptus.

**Fritlandus.**

Sit satis. Vobis mea  
 Nota est voluntas. Quod petit patriae salus,  
 Quod vestra poscit rebus in tantis fides,  
 Commendo vobis; laudis hic campus novae est.

**Senex.**

Detexit animum credulus rursus suum  
 1555 Et verba tantum pro suis verbis refert.

**Scena II.**

Butlerus. Senex.

**Butlerus.**

Cor intus ardet et manus ferrum petit  
 Et mens theatrum gloriae exspectat suae.  
 [65] Ut ille vivat, cernat has caeli faces  
 Facinusque tantum Caesarem contra audeat,  
 1560 Meditetur ipse gentis Austriacae necem ?  
 Intus labore; non meus, non sum meus.  
 Hoc pectus alto numen e caelo movet,  
 Instigat animum. Debet hic tandem mori,  
 Proicere vitam, sanguine aspergi suo.

**Senex.**

1565 Sic est, meretur proditor tandem mori.

**Butlerus.**

Res magna magno semper auxilio indiget.  
 Tentare tantum facinus haud fuerit satis,  
 Peragenda res est. O Tonans, animum vides,  
 Sed adde vires ! Hac manu, o utinam hac manu  
 1570 In perduellis stringerem ferrum iecur,  
 Transverberarem pectus et dextram crux  
 Sequeretur omnis ! Victimam hanc caelo darem  
 Et cuncta mundi vota complerem simul.  
 Tamen est agendum. Forte Cordonus manum  
 1575 Hic commodabit, forte Leslaeus quoque;  
 Sincera utrumque nam mihi iunxit fides,  
 Amorque vitae, patria coniunctos facit.  
 Uterque Scotus. Scotus Hiberno favet  
 Vicinus, et iam bella nos pridem simul  
 1580 Fecere amicos. Gloriae in partem volent  
 Venire nostrae, Caesari servant fidem.  
 Quid, si recusent ? Restat actutum mori;

Consilia mortem prodita accersent meam.  
 O anime, quid nunc? Forte succumbes tibi,  
 [66] Formido pectus forte percellet tuum.  
 Agedum quid haeres? Gloriosum est sic mori,  
 Ne sit tyrannus. Facere vir fortis potest,  
 Quod obstupescat mundus et caelum probet,  
 Si nil veretur. — Ecce Cordonus, simul  
 1590 Leslaeus ecce. Adibo, consilium est ratum  
 Aperire nostrum.

**Senex.**

Forte nunc idem volunt.

Viri fideles facile non mutant fidem  
 Et in pericolo gloriam tantum petunt.  
 Mors gloriosa fortibus grata est viris.

**Scena III.**

Butlerus. Cordonus. Leslaeus.

**Butlerus.**

1595 Cordone, pridem pectus hoc novi tuum  
 Fidele semper, semper excelsum, deo  
 Magnoque fidum Caesari.

**Cordonus.**

Semper fui

Eroque semper Caesari fidus meo.

**Leslaeus.**

Nec alias in me est animus, et fixum est mori,  
 1600 Modo nostra magno Caesari constet fides.

**Butlerus.**

Utrumque grata pectus amplector manu.  
 Oblata nunc est gloriae iugentis seges,  
 Et quis recuset? Orbis has spectat manus,  
 Hos orbis animos; Caesar hos gladios petit,  
 1605 Ut cogitatum morte Fritlandi scelus  
 A se repellat. Omnia in magno salus  
 Nunc est pericolo, vel mori debet, necem  
 [67] Qui machinatur omnibus.

**Cordonus.**

Nulla est mora.  
Moriatur ipse, si capi forsan nequit.

**Leslaeus.**

1610 Nec ille tantum; ceteri quotquot duces  
Vires eidem destinant sceleri suas,  
Hic immolentur.

**Butlerus.**

Laudo constantem fidem.  
Nos firmus ergo Caesari nexus liget.  
Iuremus omnes! Sic licet flexo genu  
1615 Iunctisque gladiis pectori saero fidem  
Iuremus ore!

**Cordonus.**

Quod petis, flecto genu.

**Leslaeus.**

Genuque flecto.

**Cordonus.**

Pectori hunc ensem tuo  
Admoveo nudum, Caesari iuro fidem.

**Leslaeus.**

Meus ensis ecce pectus hoc tangit tuum,  
1620 Sit testis aether, Caesari iuro fidem.

**Butlerus.**

Vestro ensis iste pectori admotus quoque  
Sit testis animi: Caesari iuro fidem.  
Caeli monarcha, cuius imperio ruit  
Abominandum quicquid est, certam tuis  
1625 Opem adde servis! Concidat dirum caput  
Et grata caelo victima occumbat tuo.

**Cordonus.**

Cernis fideles Caesari servos suo,  
Iuva obsequentes et manus fortes rege!

**Leslaeus.**

Offerre caelo victimam mens est tua,  
1630 Sed adde robur, nec manus nec mens cadat!

**Butlerus.**

Satis est. Tenemur unico nexu simul.  
Animos, lacertos et manus iungit fides.  
Iam dux peribit et duci quisquis suam  
Addixit operam.

**Cordonus.**

Si viri fortes sumus,  
[68] Actum est. Tenentur, ipsa captivos facit  
Fortuna nostros.

**Leslaeus.**

Unica cuncti simul  
Clauduntur urbe et exitus nullus patet.  
Foris ecce miles excubat, miles simul  
Urbem tuetur. Caesari si sit suo  
1640 Miles fidelis, in manus nostras cadunt.

**Butlerus.**

Dum certa mens est, restat, ut caedis modum  
Quaeramus aptum.

**Cordonus.**

Tu tua occides manu,  
Butlere, Terscham; Kinskium posco mihi.

**Leslaeus.**

Hic noster igitur ensis Illoum necet;  
1645 Conficiat alius ense Neumanum suo.

**Butlerus.**

Diversa caedis ista patrandae loca  
Cient tumultum; singulis tempus satis  
Forte haud favebit. Rebus in magnis levis  
Commissus error deteget, quicquid latet.  
1650 Melius in uno singuli occubent loco  
Simulque cuncti.

**Cordonus.**

Da modum !

**Butlerus.**

Tempus dabit.

Paranda cena est (arx erit cenae locus),  
 Ad hanc vocentur; accubantes tum simul  
 Mactentur omnes. Ne quis evadat, fores  
 1655 Claudentur arcis. Nox teget noctis dolum,  
 Et dum latebit, quicquid audebunt manus,  
 Nullus quietem civium abrumpet metus.  
 Stabunt in armis milites, cingent forum  
 Vicosque claudent. Egredi nemo domo  
 1660 Tot inter arma poterit. Hunc sollers modum  
 Ipse ordinabo.

**Cordonus.**

Languido dux est pede,

[69] Adesse nolet. Cuius hic dextra cadet ?

**Butlerus.**

Aliis peremptis protinus cingam ducem.

Unius ipse militis dextra cadet.

1665 Vis facta vincet.

**Leslaeus.**

Milite utendum est bono

Fidoque; fortem tanta res poscit manum.

Ignavus esse nullus hic miles potest.

**Butlerus.**

Ne quis timori sit locus, nostrae eligam

Robusta gentis pectora et fidas manus.

1670 Verus timere nescit Hibernus necem,

Inferre novit. Hanc ego curam geram.

Parate reliqua !

**Cordonus.**

Pergo et invisam duces.

**Leslaeus.**

Num iubeat aliquid forte Fritlandus, petam.

## Scena IV.

Butlerus. Geraldinus. Magdonellus. Ebroxius. Burnaeus.

## Butlerus.

Haec est meorum turba, gens audax manu.  
 1675 Hos nosco vultus, has manus. Vestra est opus,  
 Centuriones, dextera. Vestris simul  
 Opus est lacertis, milites. Animo et manu  
 Gerenda res est magna; spectabit Polus  
 Et robur addet; praemium et iustum decus  
 1680 Caesar parabit. Ecce, dum tempus favet,  
 Hic sunt rebelles ense mactandi duces.  
 Horretis?

## Geraldinus.

Horror nullus Hibernos quatit.  
 Quaerenda si sit Caesaris ferro salus,  
 [70] Stringemus illud.

## Magdonellus.

Imbuat nostram crux  
 1685 Manum rebellis, sanguini immergam manum.

## Ebroxius.

Non aliud opto. Tu iube, occisum dabo,  
 Quem destinabis. Irrito haud ictu manus  
 Mea pugnat unquam.

## Burnaeus.

Certus est in me vigor  
 Pro gente nostra. Gloriam et laudem volo,  
 1690 Austriaca fortes cum petit dextras domus.

## Butlerus.

Burnae, clausum milite armato forum  
 Utrimeque serva, civium ne quis domo  
 Erumpat audax, urbe sit tota quies!

## Burnaeus.

Curabo. Miles hinc et hinc claudet forum,  
 1695 Ne quis tumultum concitet, semper vigil  
 Idem cavebit.

**Butlerus.**

Tu, Geraldine, hoc ages.

Intrabis arcem, milite electo prius  
Portam tenebis; Magdonellus huc quoque  
Ebroxiusque militem suum.

- 1700 Mox accubantes mensa cum capiet duces,  
Hinc Magdonellus, inde Ebroxius manum  
Effundet omnem. Cum femur tangam manu,  
Clamate: Vivat Caesar et vivat simul  
Austriaca gens! Mox ense districto duces  
1705 Mactate cunctos! Tu, Geraldine, his opem  
Feres utrimque; ne quis evadat, quoque  
Sollers cavebis.

**Geraldinus.**

Hanc opem nostris feram.

Evadet inde nemo. Tu signum dabis,  
Signum sequetur dextera et mortem inferet.

**Magdonellus.**

- 1710 Peragemus istud. Gloriam Caesar dabit,  
[71] Laudabit orbis.

**Ebroxius.**

Ipsa posteritas manus  
Nostras stupebit. Fiet hoc, quod vix tamen  
Potuisse fieri credet et credet simul.

**Butlerus.**

Sic ite, sic vox una nox fortes beet!

**Scena V.**

Cordonus. Terscha. Butlerus. Kinskius. Leslaeus. Illous.  
Neumanus.

**Cordonus.**

- 1715 Aliiquid, tribuni, precibus est dandum meis.  
Arcem videte, dumque nox suadet, meam  
Gustate cenam!

**Terscha.**

Nocte consilium est opus  
 Inire contra Caesarem, nec iam petit  
 Haec hora cenam. Aptare nam gladios decet,  
 1720 Ut imbuantur sanguine Austriaco manus.

**Butlerus.**

Nec mensa curas semper excludit. Prius  
 Est consulendum corpori ac deinceps manus  
 Aptentur armis.

**Kinskius.**

Cura cum mentem quatit.

Placere cena non potest. Caesar suas  
 1725 Cogit cohortes undique et nostram parat  
 Ferro ruinam. Nos decet prompto quoque  
 Vigilare ferro. Nescio, quid mens mihi  
 Praesagit ulti. Saepe non cauti cadunt,  
 Qui neglegentes arma delicias petunt.

**Leslaeus.**

1730 Nec neglegemus arma. Consilium dabit  
 Cena ipsa certum. Cena quin nostros simul  
 [72] Animos ligabit? Una nox forte adferet,  
 Quod nulla quamquam sera parturiat dies.

**Illous.**

Eamus ergo! Multo Caesaris mortem mero  
 1735 Bibemus omnes. Lauta conciliat manus  
 Animosque mensa.

**Neumanus.**

Corpore oppleto decet  
 Animum excitare. Pocula Austriacam domum  
 Hic laeta sternet. Non metum Caesar facit.  
 Sollicitus arma quaerit et nondum suis  
 1740 Fudit tribunis.

**Terscha.**

Perge, quo tandem vocas!  
 Nos te sequemur. Una nox animo et fide  
 Coniungat omnes.

**Kinskius.**

Vester invitat favor  
 Nec ego recuso. Dum licet, festae dapes  
 Animos serenent; arma non temnunt manus,  
 1745 Quae laeta vibrant pocula atque inter iocos  
 Vinum propinant. Caesaris vino salus  
 Hic obruenda est. Euge, Cordonum sequor,  
 Visamus arcem!

**Cordonus.**

Pergite hac mecum, duces!  
 Parata mensa est.

**Butlerus.**

Vester hic nostros favor  
 1750 Obstringit animos. Cura solvetur mero.

[73]

**Scena VI.**

Genius Austriacus. Terscha. Kinskius. Butlerus. Illous. Neumanus.  
 Cordonus. Leslaeus. Magdonellus. Ebroxius.

**Genius Austriacus.**

Feralis ista est cena. Iam iam iam cadent.  
 Extrema cena est, sanguine absolvant suo.  
 Decrevit Aether seque maturum scelus  
 Praecipitat Orco. Spectat hanc cenam Polus  
 1755 Et destinata fulmen evibrat manu.  
 Ignara mens mortalium est; caeco ruit  
 Ruitque praeceps impetu. O fidae manus,  
 Iam iam stupebit mundus et plausum dabit.

**Terscha.**

Utinam cruento Caesaris liceat scypho  
 1760 Haurire tali!

**Kinskius.**

Caesar hoc utinam foret  
 Ferro secundus! Impius nostro cupit  
 Satiare mentem sanguine et diras polo  
 Sacrare dextras. Nescit, o nescit suum

Fatum imminere. Iam mihi certum est mori,  
1765 Modo morte dirus Caesar occumbat mea.

**Neumanus.**

Etiam has lavabo sanguine Austriaco manus.

**Butlerus.**

Prius ista Bacchi pocula evacues licet,  
Laeti bibamus!

**Illous.**

Animus est laetus sibi,  
Hostis propinquam cum sui cernit necem.

**Cordonus.**

1770 Cum mors propinqua est, gaudium est semper breve.

[74] **Leslaeus.**

Recreare cenam tristis hic sermo nequit.  
Hic est bibendum, nam brevis subito evolat  
Vitae voluptas.

**Genius.**

Hora fatalis venit.  
Sic ite fortes, sic necem fortes date!

**Magdonellus.**

Haec hora. Vivat Caesar!

**Ebroxius.**

Et vivat simul

1775 Austriaca gens!

**Terscha.**

Heu, proditi, socii, sumus.

**Kinskius.**

Butlere, quo nos, perfide, heu quo nos trahis?

**Butlerus.**

Ne evadat ullus, stringite huc ferrum citi!

**Magdonellus.**

Eccum recumbit Kinskius. Iacet hic simul

Illous.

**Ebroxius.**

Et tu, Terscha, iam nostrum cape  
 1780 Hac parte ferrum! Vulneri incumbit suo  
 Neumanus. Actum est, perfidas animas vomunt.  
 Vixere cuncti. Caesar, hunc tandem tibi  
 Sacro cruentum.

**Cordonus.**

Perge, quod superest, age,  
 Butlere! In arce cuncta disponam. Mora  
 1785 Ne te ulla fallat, urbe tranquilla licet.

**Leslaeus.**

Cadavera uno cuncta iungantur loco.  
 Sic proditores Caesaris tandem cadunt.  
 Arx clausa maneat, ne quis erumpat foras.

**Scena VII.**

Genius Austriacus. Butlerus. Geraldinus. Burnaeus. Ebroxius. Pedis-  
 sequus.

**Genius Austriacus.**

Nondum peractum est, unicum restat caput,  
 1790 Dux ipse. Et isto capite sublatu salus  
 [75] Tandem redibit.

**Butlerus.**

Gesta res, nondum tamen  
 Peracta res est. Pergite, Hiberni mei!  
 Quaesita sumnum gloria exspectat decus.  
 Maectandus est dux. Munus, Ebroxi, hoc tuum  
 1795 Sit ergo. Penetra, qua licet, totam domum,  
 Irrumpe in aedes! Quisquis obstabit, cadat.  
 Irrumpe in ipsum cuncta disrumpens torum,  
 Seu somnus illi forsitan sensus liget  
 Seu non quiescat, sterne! Nos nostris domum  
 1800 Claudemus armis. Tempore utendum est cito,  
 Dum nullus urbem strepitus armorum ciet.

**Ebroxius.**

Debetur istud iam mihi pridem caput.  
 Sic ibo, et isto proditor ferro cadet.

**Butlerus.**

Sic vade! Tu partem aedium extremam tuo  
 1805 Concluse ferro! Hic ipse servabo fores.  
 Nullam invenire proditor portam queat.

**Geraldinus.**

Nullam patere patiar hic portam duci.  
 Si tentet abitum, dextera occumbet mea  
 Istoque ferro.

**Butlerus.**

Tu forum et vicos tene,  
 1810 Burnae, clausos!

**Burnaeus.**

Egredi non hinc domo  
 Audebit ullus. Compita armatus tenet  
 Iam cuncta miles.

**Butlerus.**

Parvula absolvet mora,  
 Quod postulamus. Audio, iam rem gerit.

**Ebroxius.**

Fores reclude!

**Pedissequus.**

Cede! Quid turbas ducis  
 1815 Audax quietem? Cede! Dux somnum capit.

**Ebroxius.**

Reclude! Et haeres? Immolo hoc Orco caput.  
 Iacet ecce porta. Proditor, prodi foras! —  
 [76] En ipse. Tune Caesarem occides tuum?  
 Tu rex Bohemus? Proditor, ferrum indue!  
 1820 Haec te bipennis mortuum regem facit.  
 Iacet, peractum est. Euge, vicisti tuum  
 Iam, Caesar, hostem. Dextera Hiberni iacet,  
 Qui fata ferre Caesari optabat suo.

**Butlerus.**

Satis est. Suprema gloria, Ebroxi, est tua.  
 1825 Aliis in arce iungere hoc corpus decet.

Finis Actus quinti.

---

Genius Austriacus. Germania.

**Genius Austriacus.**

Germana tellus, ergo respexit tuos  
 Caelum dolores. Lacrimis tantis datum est,  
 Desiderare quod potes. Tristi exitu  
 Excelsus ille fastus et nimia furor  
 1830 Sorte insolescens corruit. Iacet in suo  
 Mutum cadaver sanguine, et mordet solum,  
 Qui dividebat regna et Austriacam domum  
 Sibi destinabat victimam. Sic, sic Polus  
 Abominandum destruit tandem scelus.  
 1835 Fritlande, nunc, ubi nunc iaces!

**Germania.**

Favor iste caeli est: pondus avertit, meo  
 Quod imminebat vertici, aeternus Tonans.  
 Respiro tandem, viscera excrucians pavor  
 Iam me reliquit. Spes mea est Caesar meus  
 1840 Et destinata Teutonum imperio domus.  
 [77] Ambitio miserum caeca Fritlandum obruit  
 Tumidusque fastus. Extulit virtus ducem,  
 Depressit illum, sed sui oblitum Deus.  
 - Fritlande, nunc, ubi nunc iaces!

**Genius.**

1845 Ambitio triste semper in fatum ruit,  
 Tunc dum secundam ferre fortunam nequit.  
 Felicitatis longus humanae dies  
 Sperandus haud est. Occidunt soles novi  
 Summumque quando verticem tangunt poli,  
 1850 Vergunt in undas. Ille plus nimio est miser,  
 Quem foeda in atram vitia perniciem trahunt.  
 Magnum mereri saepe quis regnum potest,  
 Regnare si non vellet oblitus sui!  
 Fritlande, nunc, ubi nunc iaces!

**Germania.**

1855 Fortuna saevum deprimit quando ducem,  
 Miserandus haud est; illius fatum omnibus

Spes est salutis, lacrimas nullas habet.  
 Nam mors tyranni ducibus exemplum dedit,  
 Etiam monarchis, addere haud sorti fidem;  
 1860 Coniuncta non est quando virtuti, nocet.  
 Felicitati quisquis hic fidit suae,  
 Confidit aurae; cum tenetur, aufugit  
 Et possidentem splendido fallit dolo.  
 Fritlande, nunc, ubi nunc iaces!

## Genius.

1865 Germana tellus, sume iam cultus tuos  
 Elegantiores! Addet his finem malis,  
 Qui te premi, non opprimi voluit Tonans.  
 [78] Adversa firmant, prospera enervant. Tua  
 A clade sumes, unde sis constans magis.  
 1870 Iam Ferdinandus, grande virtutis decus,  
 Tranquilliore te suam sceptro reget  
 Aquilaque victor sparget horrorem suae.  
 Caesar, triumpha, iam licet.

## Germania.

Adhuc supersunt cladis auctores meae  
 1875 Nec unus hostis: Ille, qui cunctos movet  
 Et qui rebelles armat auxilio duces  
 Potens monarcha, quique Saxonica e domo  
 Furore demens pacis optatae est mora,  
 Et quos ab altis Sueciae secum iugis  
 1880 Gustavus ultra Balticum traxit mare.  
 Sed Ferdinandus spes mea est; illi Polus  
 Vires ministrat, ut suos hostes domet.  
 Caesar, triumpha, iam licet.

## Genius.

Ne metue quicquam! Fata recludam tibi,  
 1885 Quae sanxit Aether. Caesaris natus tui  
 Rex Ferdinandus ille, quem Caelum novis  
 Servat triumphis, proximum cum sol tibi  
 Annum reducet, hostium infringet sua  
 Virtute vires et Ratisbonam occupans

1890 Late per omnes gloriam sparget plagas.  
 Et mox Iberis purpurae sacrae decus  
 Veniens ab oris Ferdinandus, Caesari  
 Regique iunctus in tuo victor solo  
 Trophaea figet. Sanguine o quanto rubens  
 [79] Nortlinga motus ipsa damnabit suos!  
 Tua Ferdinandis debita est salus tribus.  
 Mox Saxo pacem Caesari adiunctus volet  
 Premetque Suecos; sorte mutata tremet  
 Regnoque Francus consulet tandem suo,  
 1900 Tres Ferdinandos sentiens hostes sibi.  
 Video ruinas; ista sed Caeli latent  
 Huc usque fata. Pace tu gaudens tua  
 Utraque magno Caesari applaudes manu.  
 Caesar, triumpha, iam licet.

#### Germania.

1905 Caesar, triumpha, iam licet.

Finis.

---

#### Verbesserte Druckfehler

V. 545 incolumen — 670 patiemur — 912 Felice — 889 Domine —  
 1029 Infamamque — 1065 interritus — 1140 Errebo — 1201 mouebo —  
 1253 voluit — 1458 stristo — 1533 feret — vor 1674 Brunaeus.

---

## Anmerkungen.

Die in unserer Tragödie auftretenden Personen sind fast alle aus Schillers Wallenstein bekannt: Adam Erdmann Graf T r c z k a , Wallensteins Schwager (Allg. dt. Biogr. 38, 537); Wilhelm Graf K i n s k y , T r c z k a s Schwager (AdB. 15, 775); Christian Freiherr v. I l l o w (geb. 1585. AdB. 14, 27); Rittmeister N e u m a n n ; Octavio Graf P i c c o l o m i n i (1599 bis 1656. AdB. 26, 95. P. Schweizer, Die Wallenstein-Frage 1899 S. 242); Oberst Walther B u t t l e r († im August 1634; Murr, Beyträge 1790 S. 346); Oberstleutnant Johann G o r d o n ; Oberstwachtmeister Walther L e s l i e (1606—1667. AdB. 18, 437); Oberstwachtmeister Robert G e - r a l d i n ; Hauptmann Daniel (? Dionysius) M a c d o n a l d ; Rittmeister Walther D e v e r o u x († 1639); Hauptmann B r o w n .

Ferner werden erwähnt: V. 53 Hibernus = D e v e r o u x . — 213. 461 Bavarus = Kurfürst M a x i m i l i a n I. von Bayern (1597—1651). — 216 Septemviri = die deutschen K u r f ü r s t e n . — 248. 451. 539 Iberus = König P h i l i p p IV. von Spanien (1605—1665); vgl. 422. 1497. — 261. 683 Francus = L u d w i g XIII. von Frankreich (1601—1643). — 271 Gu - stav H o r n (1592—1652), der schwedische Oberbefehlshaber. — 273 Her - zog B e r n h a r d von Weimar (1604—1639. AdB. 2, 439). — 632. 673. 879 Matthias Graf G a l l a s (1584—1647. AdB. 8, 320. P. Schweizer 1899 S. 253). — 653. 1361 Hans Georg v. A r n i m - Boytzenburg, der kursäch - sische Feldmarschall (1581—1641. AdB. 1, 568). — 713 Ille, nostras qui manus ferro replet = Kardinal Richelieu (1585—1642), der allmächtige französische Minister. Man erwartet hier aber a u r o statt f e r r o . — 1505 F e r d i n a n d III. (1608—1657), Kaiser Ferdinands II. Sohn, wurde erst 1636 zum Römischen Könige gewählt. — 1886. 1895 Ferdinand III. er - oberte am 26. Juli 1634 R e g e n s b u r g und schlug am 6. September das schwedische Heer bei N ö r d l i n g e n , vereint mit dem spanischen Kardinal-Infanten Ferdinand (1609—1641), einem Sohne Philipps III., der auch Statthalter der Niederlande war. — 1897 S a c h s e n trennte sich im Frieden zu Prag am 30. Mai 1635 von seinen protestantischen Ver - bündeten, die nun mit Richelieu in Verbindung traten.

